



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

## CAROLI BO

VILLI SAMAROBRI  
ni De Laude Hierusalem,  
liber unus,



EIVSDEM  
De Laude gentium, Lib. I.  
De Concertatione & area peccati, Li. I.  
De Septem uitijs, Lib. I.



VIRTUTE DVCE,



COMITE FORTUNA.

SEB. GRYPHVS LV-  
GDVNI EXCVD.

ANNO

M. D. XXXI.





# REVEREN-

DISSIMO IN CHRISTO PA-

tri, Ludouico Borbonio, Cardinali Laudu-

nensi, & Cenomaneñ. Episcopo, ac

monasterij Diui Dionysij Abba-

ti, Carolus Bouillus Sama-

robrinus Salutem.



OGABIS fortè, R. P. cur opusculo isti, quod tibi nuncupaui, titulū dederim, de laude Hierusalem. Solent enim nonnulli in prima nominis ratione ancipites herere, & in illius perscrutatione aliquantisper dubio affigi.

Attende igitur, ne id iudicer absq; ulla fecisse causa. Fungor hic interpretis officio: in psalmum festiuum (quem reperi plenum letitiæ, uicinūq; cœlesti cuidam triumpho) Lauda Hierusalem domunum. Quamobrem nimisula, aptam huic libro nomenclaturam emutuauī. Non quod istic canam, uelut præco, Hierosolymæ urbis laudes: Sed quia laudatorium, eius sacræ & dilectæ deo urbis, euiscero psalmum: Et introspicio secretiore oculo mentis: ac promere ex abdito nitor in lucē, si quid forte mysterij, & arcanae theoriæ tegat huius cortex psalmi. In quo urbs Hierusalem audit, nō dubium, à sancto spiritu sacram, & plausibilem sui adhortationē, qua admo-

Cur hunc libellū de laude Hierusalē inscripserit.



Ciuitas qd.

netur ut expergiscat, exiliatq; uelut è somno ad cōcinen-  
das altissimo deo laudes: quarum, ob accepta dei benefi-  
cia, non negat, imò ingenue profitetur, se esse obnoxia,  
& debitoricem. Verum enimvero ut & per amplius re-  
spondeam iurgatori, titulū forte istum adhuc in ius uo-  
canti: Quis rixabitur iure mecum, si dixero, etiam ista  
equidem quæ hic cōcinuntur præconia, esse laudes urbis  
Hierusalem? Id est, quas Hierosolyma urbs, uel habita-  
tores eius (nam ciuitas omnis turma est unanimium ci-  
uium, & pacifica habitatorum frequentia) pendūt deo.  
Quasq; iubent, more fumigantis ab igne thuris, uel cre-  
pitantibus lituis & tubis, uel angelicis manibus scande-  
re & deportari usq; in sacrā aram summi dei? Et ut ad  
id analogia, ac similitudine cursim utar, literæ, & dona  
quæ uicissim mittuntur ab amico ad amicum, cuiusnam  
quæso sunt? Nōne utriusq; amici, unius quidem dantis,  
& alterius accipientis? Conflet igitur iurgator, si quis  
hic aderit, lineam munificæ uicissitudinis inter deum &  
Hierusalem, per quam ob ea, quæ descenderunt ad se dei  
munera, & dona urbs Hierusalem remittit in deum hi-  
larem laudis iubilum: quo, iuxta humanæ fragilitatis te-  
nuitatem, compenset largifluam diuinorū donorum mu-  
nificentiam. Stabit igitur tandem mihi istud quidē quod  
uolo, ut nō temere huic dederim libro nomen: De laude  
Hierusalem. Nam fructus totius istius psalmi, præconiū  
eius est laudis, quæ ab Hierosolyma urbe, id est à sanctæ  
plebis agmine, & sanctificantium sacerdotū turma exo-  
riens, in deū usq; uelut fumus ab igne scandit. Deo qui-  
dem omni laude digno impenditur istiusmodi incunda  
laus.

3  
 laus. Laudat sancta urbs structorem, defensoremq; suum,  
 id est deū. Laudatur ab exultante urbe deus: Laus inter  
 deum & pium dilectæ urbis populum uelut mediatrix  
 intercurrit, ut huius merces, incompensabilibus dei mu=  
 neribus, lapsis desuper (obuiam cōtraria latione, id est  
 scansione sua pergens) nō eas utiq; quas debet, sed quas  
 duntaxat potest, gratiarum actiones beneficio exoluat  
 deo. Hacenus igitur, ne longior sim, satis sit, me &  
 apud te, & apud cūctos præsentis opusculi defendisse ti=  
 tulum: & patrocinariam illius explicuisse causam: qui à  
 longe augurer, uel haud defuturum à tergo calumnia=  
 torem, uel saltem istiusmodi, quam non filii, causæ  
 percontatorem. Tu uero, quem huic libro pa=  
 tronū citavi, si forte in eo parcius (quod  
 aiunt) rigavi oluscula, ampliorem su=  
 perfunde aquæ copiā. Et quæ=  
 q; desunt per te ipsum  
 supple. Vale, No=  
 uioduni Calēdis  
 Ianuarij.  
 1531.

## CAROLI BO

VILLI SAMAROBRINI,  
de Laude Hierusalem Liber.

## OPERIS ELOGIVM.



SCRIPSIMVS dudum, in quodā opere, de differentia orationis & laudis, In quo quidem ostensa est laus, nullius esse petitoria rei: Sed erūpere, ac prodire ab hilaritate exultantis in deū

- Laus.* animi, & in diuinarum denarrationem uirtutum, super= no illiciente radio, assurgentis. Cum etiam & ipsa laus sit meta quedam, triumphus ue, & palma orationis.
- Oratio.* Nā præuia & præcurrens humilitas orationis, summis= sam orantis ceruicem curuat: exigens quidem à deo ea bona, quæ utilia & necessaria cuique sint. Et cum, horum etiam contraria, & insalubria profligari postulet: Insuper addit, & quæ etiam honesta, & deo digna sint, non minus solido corde & sincera fide, nihil hæsitando implorare à deo. Laus uero comes illius, ob ea quidem, quæ præuia orationis fides impetrarit à deo, gratias festiua agit illi: deī quæ bonitatem, super cor omne, se affatim explicantem, & inenarrabiles illius uirtutes tacita mente secū ammiratur. Et eas deinceps ore, manibus, gestu, organis, tympanis, & in cunctis musicæ harmoniæ instrumentis totopere extra se facta effert. Ibi etiam docuimus latissimā in Dauidicis psalmis emergere

gere distinctionem, duorum hominis munerum, orationis scilicet & laudis. Cum alij quidē psalmi uel nostrorum gerant providentiam bonorū, uel aduersum quolibet ingruētia alicunde mala utiliū remediōrū postulatorij sint. Alij autē humili nostrorū bonorū petitione altiores, ciliū paulō altius attollant, ut qui diuinas tantūmodo laudes, festiui, & leti decantēt. Hic igitur semotis orantibus psalmis, deterfisq; lachrymantibus oculis, & amota à nobis aduersantiū memoria malorū, in uno duntaxat psalmo, mystica diuinarū laudum buccinante præconia, sedebimus. Et particulatim diuiso eo, atq; exenterato, quid intrō lateat sacre medulle, sereno mētis oculis inspiciemus. Scriptū est enim, Qui semināt in lachrymis, in exultatione metent. Id est, quoniā qui moesti, & positi in malis, diuinæ implorandæ opis meminerūt: Seu qui cum malorum remedia, tum bona sibi postulantes flebili oratione ingemiscunt ad deum: tandem hilaritatem induent, & malorum omnium diuina ope uictores fient, Vt post adeptam uictoriæ laureā, diuinis, ut decet, laudibus inhient. Oratio quippe in angustiis & in lachrymis sedet: Laus in hilaritate, & in latitudine fundamētū habet: nihil lugubre gerens, nihil flebile, aut triste habens. Hic ergo malumus in præconio laudis hilares cōsistere, & sedere quā adhuc uersari in animi moestitudine, & curua ceruice inter lachrymas, causa serendi, solum proscindere. Festinat enim pro uiribus certator quilibet ē defecta feliciter messe redire ad aream. Et ē certamine appropinquare ad palmam. In certamine, in lucta, & in semine posita est precaria tota oratio

Psalm. 125

tio: Laus, nata immunitate malorum, in area spaciose  
ociatur. Mœsta interdum est oratio, dum torcular dei  
inter mundi huius pressuras, & erumnas calcatur. Laus  
expressum ab unis sacrum liquorem deo libat, letaturq;  
in triumpho partarum ab hoste manubiarum. Excita-  
binus igitur hic nobis è quibuslibet manubijs trophœum,  
in discussione unius tantum laudatorij psalmi: qui quia  
sacra utriusque testamenti mysteria clanculum tegit,  
sperauius operam nostram, in eius introspectione, nō  
inaniter absumentam. Nunc uero propositam ingredia-  
mur nostri certaminis arenam.

## Lauda Hierusalem dominum.

Tria quædam scitu digna mystice profert initium  
psalmi huius: Munus, Locum, Personam. Munus qui-  
dem est id, quod deo offertur, uel offerri hic suadetur,  
ab homine acceptorum beneficiorum debitore, & nec  
eorum immemore. Locus est, in quo id offerri suadetur.  
Persona, cuius dignitati, suorum donorum sponte im-  
partitrici, oblatio ipsa sit faciunda. Munus itaque  
ipsum laus est: locus laudis, urbs Hierusalem: ad quā sub  
modo suasiuncula, & festiue adhortationis, nunc fit di-  
rectio istius locutionis, & sacre cantilenæ. Persona, quæ  
insigni laudis munere, & sacra exultantium cordium  
oblatione sit digna, Dominus est, id est DEVS. Tria  
igitur mystica, uel uerba, uel nomina, complectitur bre-  
uis hæc adhortatoria, nō deprecatoria locutio: quorum  
quodlibet prægnans est, & magnū præ se mysteriū fert:  
Sed

Sed expedit cum primis ut de primo, id est de uerbo hoc lauda, nonnihil obiter dicamus. Verbum quidem istud, lauda, uariæ significantiæ est. Velenim deprecandi, uel imperandi, uel adhortandi uim tenet. Non deprecandi uim habet, quia deprecatio ab inferioris emergit personæ ueneratione, erigentis se ad superioris personæ honorem. Nam quisquis subditus alij est, is iure superioris gratiam quouismodo deprecari debet. Non item imperandi, quia hæc utique locutio inæqualitatem quandam saperet: uergens quidem à superioris imperio, ad inferioris obsequium. Est enim præcipere & iubere actus superioris personæ, erga eam, quæ quolibet iure obsequio illius adalligatur. Seruat igitur istuc uerbum lauda, mediocrem & æqualem quandam adhortandi uim, quæ inter pariu, & equaliu personarum sodalitia uiget: tanquam si in populo Dei, uel post partem hostium uictoriam, uel ob perceptam ingentium dei beneficiorum opimitatem, pars una reliquam adhortetur ad laudem concinendam Dei, & ad denarranda magnalia illius, reddendasq; illi gratias. Idq; eo modo est, ac si imaginere plebem, quæ ignobilior, & abiectior populi pars est, sacerdotali turmæ innuere, adhortariq; illam, ut plusquam emeritis Dei laudes casto personet ore, easq; tubis & clâssicis buccinetur. Est enim laus dignum, & sacrum munus sacerdotalis officij. Non passim cuilibet è gregaria plebe aptum, sed præsertim sacerdotibus congenericum: quibus, sacris canere tubis, olim & diuina sanctione, & Mosaicâ institutione datum erat. Adhortatur ergo plebs in ini-

Psal. 115

tio psalmi huius gregem sacerdotum, non ad sacrificia offerenda deo, non ad exorandum illum pro peccatis, aut pro quorumvis necessariorum adsequutionem bonorum. Nam secretius cogitandum est, iam antea præcessisse hæc omnia. Et oblata prius fuisse sacra eorum pignora supereminenti deo: sed ad offerendum illi (uelut iam à præuie orationis incenso, uel ab aliorum quorumlibet sacrificiorum litatione placato) id quod optimum omnium potissimumq; est: id est iocundæ laudis præconium: quo in humanis rebus nil sublimius, nil usquam quod deo propius nos iungat, nouit quisquã. Potissimã profecto bonorum omnium nostrorum esse laudem, & placere hanc unam præ cæteris Deo, uersiculi isti psalmographi satis docent: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. O domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancille tue. Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Ibi quidem anima quæ inops prius, & uacua diuinorum bonorum fuit: & quam etiam aduersantium malorum pressuræ aliquandiu (uelut uel absente deo, uel nubem sibi opponente) circundederunt, & tamen liberata iam à malis est, insuper & coelestibus diuinorum beneficiorum imbribus inebriata, cupiens quidem uitare ingratitude uitium, & reflectere diuinum lumen in deum, secum ipsa secretius percontatur, quid retribuat domino, pro omnibus, quæ acceperit ab eo. Nihil tamen hæc omnia lustrans apud seipsam reperit: nihil in uacuis suorū præcordiorū scrinijs inuenit, quo gra-  
tuta

tuita dei beneficia compenſet: niſi quòd calicem ſalutaris accipiat, & inuocet nomen domini. Quodq; ſe penitus, uelut ſeruam, & humilem ancillā ſubdat liberatori ſuo, & benefactori deo. Et ſacrificet illi hoſtā & incenſum laudis, qui diruperit uincula eius, & abſtulerit ab ea congeriem cumulum ue malorum, quæ circunſederant eam prius. Nam ſubdere ſe deo, & conſiteri ſe ſeruū, & filium ancillæ dei, quid habet aliud, quàm mitiſſimā indolē, obediētis innocētiæ, quæ mūdi & innoxij peſto ris ſacrariū dicat, offert, & exhibet ei, propter quem, Act. 5 & de quo ſcriptū eſt: Melius eſt obedire deo, quàm ho= minibus. Et rurſum, Melior eſt obediētia ſacrificio. Obe dientia autem, cum prorsus munda & innocuæ ſit men= tis, apud deum ſit, & ſclerum prorsus, malorum ue in= conſcia, nec minus à ſeruili timore libera, nullius mate= rialis ſacrificij litatione, nullius ue muneris aut doni ex= hibitione, placare deum eget. Cuius quidem obſequio ſic ſe offert, ut propter eum, extra ſe facta, iam non memi= nerit ſui. Quamobrem materialium donorum aut ſacrifi= ciorum omiſſa uiciſſitudine: dignam illorum retributio= nem uertit in ſanctæ laudis iubilum. In qua etiam lau= de deſijt is, qui raptus ab humanis, & factus in exceſſu diuinæ ſolitudinis, ſacra & leta pſalmorū cantica: deo, imitabile totius poſteritatis exēplū, et in eruditionem e= ius, perſoluit. Præmittēs enim pſalmos orationū, et humi liū petitionū, uelut iā tandē, uicinus palme ſuæ, nec lon= ge ab inclyti & uiſtoris animi triūpho, deſinit tandē in pſalmis et cōcrepationibus altiorū laudū. Sit igitur ha= ſtenus de laude diſtū. Nūc de noīe Hieruſalē dicēdum.

De



CAROLI BOVILLI LIB.  
DE NOMINE HIE=  
R V S A L E M.

SI de nomine Hierusalem, dicendum cursim quid fuerit, uaria quidem fluctuat diuersorum opinio erga significantiam aut originem illius, quæ tamen intentioni huic nostræ parum admodum proffit. Si enim perspexerimus ipsam totius sacri nominis integritatem, hæc illico promiscua est, & complexionem in se habet manentem à dictione partim Græca, partim Hebræa. Hieros enim Græci sanctum dicunt : Salem uero inter Palestinos antiquum ciuitatis nomen fuit. Cum olim in ea regnaret Melchisedec ex Genesis testimonio, rex Salem. Sed & olim ipsa dicta est Iebus, metropolis Iebuseorum, eoq; nomine censebatur, cum cepit, & oppugnauit eam Dauid. Vnde forte emerfit, quod & autumant nonnulli, corruptum uitio labiorum nomen Hierusalem, quasi Iebusalem. Sed de sola nominis ratione ulterius inani controuersia altercandum nobis non est. Ad rem hinc ocius ueniamus. Verbum lauda, de quo exactus est iam sermo, non hic sublimioris sapit dignitatis imperium, non rogationem & precem inferioris personæ, sed exhortatoria ui pollet, quam dirigit ad Hierusalem, id est, ad ecclesiam, ad synagogam, & piam congregationem Hebræorum habitantium in Hierusalem, ut in ea taceat à laude nemo: sed buccinis quilibet & ore, & ductilibus tubis, concrepet dignas, & plusquam emeritas laudes dei. Porro ecclesia & synagoga Dei, non materialis murus ipsius urbis est, non numerus materialium domorum, nō decora

יֵרוּשָׁלַם

שָׁלֵם

יְבוּס

decoratum auro & argento speciosi templi ædificium,  
 Hæc enim emortua prorsus sunt, & uegeto spiritu intus  
 carentia, concinendis dei laudibus minime idonea: Sed Ecclesia qd.  
 est ecclesia collectio & adunatio insignium quorundam  
 uirorum præcipue sacerdotum, ad quorum turmam à  
 reliqua, & ignobili plebis parte, uel certe à spiritu,  
 è sublimi loquente, exhortatio & suasio quedam fit  
 concinendarum Dei laudum. Multitudo quidem omnis  
 per seipsam discrepat à monade. Attamen in omni mul-  
 titudine unanimis uoluntatis, & colla submittente, atq;  
 obediende Deo, mira relucet, seruanturq; dei uirtute,  
 unitatis signacula. Ex omni enim natione, quæ sub cœ-  
 lo est, elegit sibi deus populum unum, cui à cæteris po-  
 pulis per circuncisionem semoto, & sacris ritibus distin-  
 cto, terram non suam in hereditatem concessit: legesq;  
 ritus, & ceremonias: sacerdotium item, regnum, & po-  
 tissimū sui cultum attribuit. Et exinde quicquid uarias  
 inter nationes in delectu & secretionem populi unius fe-  
 cit deus, id etiam in cunctis sui populi urbibus impleuit:  
 dum unam tantum urbem suo cultui, suæq; confessionis  
 iubilo & laudi elegit. Hæc est autem urbs Hierusalem,  
 in qua materiale templum & altare unicum sibi ædifica-  
 ri præcepit: ut per illud unū, ignota requie, secretissima  
 mansione, & inuisibili incolatu, populo suo per amplius  
 inhereret. Liquet igitur, cur non alia Hebraici populi  
 urbs hic citatur ad concinendam Dei laudem: sed ad so-  
 lam Hierusalem dirigitur præsentis adhortatoria locu-  
 tio psalmi: Lauda Hierusalem dominum. Atqui tanta est  
 diuini nominis laus, cuius gloriam, cœli narrant, & tam  
 ingens

ingens domus dei, ut hæc inter augustias se detineri non patiatur. Quamobrem per baptismum, ueteri circumsione meliorem, omnis tandem natio, quæ sub coelo est, inferitur in bonam & hereditariam dei oliuâ: & annumeratur in fine quælibet gens secundum deum renata inter filios Abraæ: ita & tandem eousq; proficiet, dilatabiturq; cum urbs dei, tum templum illius, ut uniuersus orbis futurus sit, & urbs dei, & domus dei, & tēplum dei altissimi. Et ut iam non sub materialis templi testudine, neq; in loco hoc, aut illo: sed passim ab ubiq; sparsa dei noticia laudetur unicus et uerus in toto orbe deus. Nam iuxta sacrum eloquium futurum est aliquando, ut ueri adoratores neq; in Hierosolimis, neque in monte hoc (intellige in monte Gazirim: in quo Samaritani, Iudeorum æmuli, templum 'instar Hierosolimitani templi struxerunt) sed in omni loco adorent patrem in spiritu & ueritate.

Ioan. 4

DE NOMINE DOMINI.

**D**icendum iam suo loco de nomine domini est, uidentumq; cum primis, quæ, duo hæc nomina Dominus & Deus, ratione & significantia dispescantur abinuicem. Cum enim sint insignes eiusdem diuinæ substantiæ appellationes: sedebit forte opinio nonnulli, nihil prorsus esse faciendum discriminis inter eas. Quamobrem enucleandum istud est cum primis: an eorum, unum per causam significantiæ suæ sit reliquo prius, aut saltem hominibus notius: uel an per unum eorum, quàm

quàm per reliquum, amplius forte, & altius, honoretur Deus. Dicimus quidem æquum prorsus honorem, ab utroque horum nominum summæ impendi deitati. Nomen tamen Dei quoquo pacto & latius esse, & arctius nomine Domini, atque etiam fortasse prius. Latius quidem: quia in omnes mundi nationes sese quouis modo effudit nomen dei. In Hebræis enim, haud dubiæ, propter ueri Dei cultum id stetit. In gentibus uero, ab falsam religionem idolorum, etiam uiguit. Nam segregatæ quondam à uero Deo nationes falsò & temere sub ipso nomine Dei, simulacra & idola coluerunt. Prius uero etiam est: quia uox ipsa diuinæ appellationis, id est ipsum Dei nomen, peculiarem quandam inspectionem habet ad creaturas, quæ ab ipsa unius ueri dei substantia, non necessariam, sed spontaneam originem acceperunt. Exemplum huius rei in promptu à scripturis est: quoniam is quidem, qui diuino spiritu afflatus, prius ipsam mundi creationem, & uniuersorum originem, supra humanum sensum descripsit, haud à nomine Domini dicendi initium fecit: sed Dei cum primis nomine, & appellatione usus est. Cum ab huius exordij auspicio totius mundanæ conditionis seriem apte inchoauit dicens, In principio, inquit, creauit Deus cælum & terram. Dei ergo nomen, hactenus ut & latius, & prius, super omnia pergit. Domini autè appellatione competit etiam & ipsi quidè deo, quippe & super omnia, & semper, & in omnibus dominati. Attamè interdū speciatim scripturæ sanctæ illud sumunt, & contrahūt in respectū unius tantū Ifraëlitici populi: què deus statum

Deus.

אלהים  
ὁ θεός.

Gene. i

Dominus.

יהוה  
ὁ κύριος.

statim in mundi primordio sibi in peculium, à ceterarum impuro cœtu nationum segregauit: dum possessor ac dominus dici & appellari illius unius gentis uoluit: Cum tamen sparsas per mundum ceterorum populorum nationes, uoluntarie labi à se, ingredi uias suas, arbitrio suo uiuere, & deos sibi non ueros cōflare permiserit. Et usq; adeò inualuit tandem specifica & propria domini appellatio in ipsa præelecta plebe Dei, ut iam etiam in ijs, qui è populo dei, ad deum uerum cœcutiebant, qui ignorantie caliginibus offusi, in idolorū & simulacrorū cultū gentiū instar defluebant: cōtingeret erga ipsa dei, & domini nomina, latus distinctionis, & differentie cuiusdam error. Et eò quidem usque, hæc appellationum diuisio male tandem proficeret: ut tandem à nomine domini: obscurum iam esset, & offuscaretur clarum aliqui nomen, uel persona dei: quod quidem malum accidit eorum uitio & stoliditate, qui commixti uicinis populis, & adorantes deos eorum, arbitrati sunt eum, qui eos deduxerat de Aegypto, qui ipsis dominabatur in terra sua, haud esse uerum deum, factorem cœli & terræ. Hinc enim oratio Helie emerfit, orantis dominum aduersum sacerdotes Baal, ut in igne è cœlis labente, deuoranteq; paratum sacrificium, manifestaret iterum palàm, & coram omni populo, in partes duas claudicante, se esse uerum deum, quem tamen sciebant esse dominum. Quam quidem precem ubi secutus est effectus, ubi lapsus è cœlo ignis, deuorauit sacrificium quod in altari erat: ubi ligna quæque, & fusam circum altare aquam, & puluerem uorax flamma

3. Reg. 18

יהוה  
הוא  
האלהים

flamma absorbuit : tum ruens in faciem suam populus  
exclamaui : Dominus ipse est deus , dominus ipse est  
deus. Quasi diceret, & aperto doctus signo innueret,  
Quoniam is quidem qui nos eduxit de Aegypto , qui  
hic dominatur in nobis, quem ut dominum nominari &  
celebrari audimus, uerus deus est, & conditor cœli &  
terræ : Et non solum nostri , sed etiam totius dominus  
mundi. Similiter & de Manasse rege scriptum est,  
post reductionem captiuitatis ipsius , & conuersionem  
eius ad deum patrum suorum: Et cognouit, inquit, Ma 2. Paral. 33  
nasses uere, quod dominus ipse est deus. Quasi antea  
nesciret, eum quem quouis modo coleret ut dominum,  
esse & deum etiam uerum. Vnde igitur queso dubium  
istud inciderat populo, dubitanti eum esse generalem,  
& uerum, & unicum mundi deum? quem tamen uene-  
ratur ut dominum, & possessorem suarum tribuum?  
nisi quia nonnihil est differentie faciendum inter no-  
mina Dei & Domini. Et istud quidem breuius, illud ue-  
ro celsius & latius est. Nam etiam & à dignitatibus  
& magistratibus humanis, nomen usq; hodie usurpatur  
Domini: à quibus illicitum & nepharium est præsumi,  
& deposcere sibiipsis sanctissimum, & intemerandum  
nomen Dei. Nonne enim istud ideo nimium uerum est,  
Omnem quidem Deum, esse & dominū: sed non omnem  
Dominum dici illico oportere Deum. Et ea etiam de  
causa in alio loco, insinuatio publica fit ab hoc psalmi  
uersiculo ad populum : Scitote quoniam dominus ipse Psal. 99.  
est deus. Qui innuit ignorantibus Hebræis, ut scirent,  
& certi essent, quoniam is quem à patribus suis, & in  
b suis

Octavianus  
domini no=  
men respuit.

suis tribubus uenerabantur ut dominum, ipse etiam deus uerus est, & non est alius præter eū. Hinc enim lapsum ueteris idololatriæ, & multiplicationem inanū deorum in terris pependisse produnt historiæ. Quia ignari ab initio, & rudes populi, terrenas potestates, quæ sibi præfuerant, & quas dominorum nomine uiuentes celebrant, postmodum uita functas in deos trāsisse ignauiter crediderunt, & in sculptilibus eas coluerunt. Ferunt Octavianū Augustum à Sibylla edoctum, quoniā quidā nasciturus esset in terris se maior, reueritū fuisse, penitusq; respuisse domini appellationem, qua Romani illum uulgò honorādum, censendumq; decreuerant. Et loco eius appellationis se quidē patriæ patrem dici, & nominari maluisse. Noluit princeps sapiens de seipso linguere post se ullius uanæ superstitionis seminarium. Cui tamen mortuo (qui uiuens domini appellationē respuerat) Romani diuinos nihilominus honores impenderunt, eumq; pro deo & ipsi coluerunt.

### Lauda deum tuum Sion.

Sion.

Sub coincidentibus, & penè eiusdem significantiæ uerbis, resumptio hic fit. particula & exultationis præcedentis. Nam idem prorsus uerbum, lauda, istic resumitur. Deus autem dominus est: Porro quid Sion? nōme Hierusalem, uel arx Dauid? quam in monte Sion, in fortificationem urbis extruxit Dauid, ut idem penè sit dicere: Lauda deum tuum Sion: &, Lauda Hierusalem dominum. Nihil enim interest prorsus, nisi quanta sit nominis Domini, à nomine Dei, faciunda admodum leuis interca

intercapedo. Quamobrem rite quidē, & bene progreditur in sue laudis exhortatione sanctus psalter: ut qui præmisit nomen domini, tanquam aliquo pacto inferius, uiciniusq; nobis, atq; etiā minus, eleuaturq; in sublime ab illo in excellentius nomen Dei. Vt sciat Hierusalem, eum unū esse Deum uniuersæ terræ: quem laudare prius suadet ut dominum. Sed iam non impertinentem huic rei iacimus aleam, si modo sacras dei appellationes recensēbimus, quibus diuinitas illius fungitur, & honoratur erga nostrum genus. Reperimus enim præ Dei nuncupationes quas fertim has dei nuncupationes esse quatuor: scilicet, Dei, Domini, Patris, & Magistri. Nomen quippe Dei com-  
 petit illi cum primis ut omnium auctori. Sequens Deus. mini appellatio adest illi ipsi ut imperanti, ut moderāti, Dominus, & possessori populi à se dilecti: & latrum à se legum iure uiuentis. Paternū nomen familiarius iam, & uicinius nobis est: quod quidem dandum illi fuerit ut æ-  
 loti, & ut naturali bonitatis amore humanū saluari genus cupienti. Et illud, deposito seruili timore, ad suorum bonorum participationem & hereditatem benignissime inuitanti. Nomen postremo Magistri ponendum est Magister. illi, ut illustratori nostrarum mētium. Et ut largitione sue lucis, & gratuito dono eminentis scientiæ sue nos erudenti, & à malis ad bonū cōuertenti. Quatuor igitur hisce sacris nominibus nō absre distinguitur, & insignitur erga nos deus: scilicet Deo, Domino, Patre, & Magistro. Creatio siquidē omnium facta è nihilo, primi nominis auspiciū Deo dat. Ob enim creationē, & substantiæ largitionē, merito supersubstantialis omnium rerū  
 b 2 autor




autor, dicendus est deus. Ob legū uero & sanctorū ritū  
 lationē insolentiā peccati astringentē, qbus & omnibus  
 à se factis, & præsertim electo à se populo inuisibiliter  
 præest deus: ipso Domini nomine merito honorandus is  
 est, qui dominatur omniū. Regeneratio uero, & sacri ba  
 ptismatis impartitio: quæ uniuerfos sacra aqua dilutos,  
 in illius filios, & in filij sui cohæredes adoptat: illū iurē  
 mitissima paternæ uocis nomenclatura honorādū iubet:  
 In qua, iuxta scripturā clamamus, Abba pater. Illustra  
 tio autē spiritus sancti munus ue sciētiae, & indulti desup  
 luminis perceptio, quæ comes est, & affecla sacre rege  
 nationis: iure etiā ipsi deo, sacri magisterij & erudiē  
 tis functionis impartit nomē. Deus qdē apud seipsum, lō  
 ge quā iuxta nos, multinominis est. Imò uero quoties  
 illū absolutiore oculo, uelut à creaturis semotū, degen  
 temq; in seipso intuemur, nihil miraculi est dicere simul  
 hūc & nullis, & infinitis nominibus pollere. Nullis qdē,  
 ob eminentē ipsius priuationē, eloquia cuncta, affatusq;  
 humanos transilientē: silentio ideo, & taciturnitate, &  
 cōpressionē labiorū, plusquā crepitu oris, & ulla uocis  
 melodia honorādā. Infinitis autē ob inelōgibiles & nu  
 merū trāscendentes ipsius proprietates, quæ licet affatū  
 uincāt, exuperentq; nostrū: ijs tamē pro ritu & cōsuetu  
 dine nostra nitimur, breuibus labijs, sua ponere nomina:  
 Velut cū illū unicū, immensum, eternū, bonum, pulchrū,  
 sapientē, & omnia potentē appellamus. Hæc quidē no  
 mina illi haudquaquā erga nos bene quadrant: sed se  
 cundū ipsius altitudinē, & iuxta seipsum solum accipiē  
 da in eo sunt. Sat enim est, uti diximus, illum sub intuitu  
 & inspe

Deus nullū,  
 simulac infi  
 nita nomina  
 habet.

Nullum.

Infinita.

et inspectione nostri, quadruplici nomine finiri. Et nec  
plura inuenimus, saltē erga nos, nomina illius: prāter ea,  
quae ab his quatuor elemētis, substantia, lege, regenera-  
tione, et lumine cōflamus. Hae equidem dei benigna et  
propēsa in nos clemētia: Hae foecūda et larga suorum  
istiusmodi quatuor donorū impartitio, illū bis duplici no-  
mine, erga nos insignē celebrat, et praedicat à nobis eū  
meritō sub his quatuor uocibus honorādū. Exigit nem-  
pe et iubet ueritas: ut ob munus indultae ab initio substā-  
tiae, nos uelut q̄ creaturae sumus illius, honoremus eū qui  
fecit nos ut deū. Ob uero lationē legis, quae peccatū strin-  
git, arctetq̄; uim illius insolentē, cōsentanea ueritati ratio  
uult, ut nos tanquā serui, honorē demus illi, à quo iure ut  
à dño posidemur. Ob exinde donū regenerationis, quo  
expiatur antiqua peccati lues, quo carne et mēte inno-  
uamur, quo discussa ueteri seruitute ab autore mūdi, in  
filios adoptamur: decet eqdē nos filiali honore ab eo di-  
gnatos, illū agnoscere, inuocāreq̄; ut parētē et patrē.  
Ob deniq̄; supremā spiritus sancti impartitionē, quae de-  
pulsis nostrarū mentiū tenebris, obscura prius earū pe-  
netralia, igneo suo lumine cōpleuit, et cauēdos inimici  
laqueos, technasq̄; illius uitādas detexit: decet nos qdē,  
humili discipulorū nomine, illum uocare, celebrareq̄; ut  
magistrū, q̄ tāto nos munere, et lapsos cū primis à ma-  
lo erexit, et angelorum exinde beatitudini coequauit.  
Hae igitur diuina erga nos quatuor summi dei elemēta,  
redigimus in praesentē figurā, ut nō desit corporeis etiā  
oculis, id quod profunda occultae intelligētiae acies, intra  
sua lumina, ita se rem habere, ad amūssim uidet.



Quoniam confortauit feras portarum tuarum.

Post præmissam exhortationem instigantem corda hominum ad laudem domini & dei, subnectitur mox causa ob quam à ciuitate Hierusalem, id est uel à potissima parte sacerdotum, uel ab omni dei synagoga, in Hierusalē collecta, sit deus iure laudandus: & omni quidem, immò plusquam omni laude dignus. Sed præmittitur in initio inferior & humilior diuinæ laudis causa, ut ordinis congruitas seruetur: ut ue ab inferiore, & humiliore laudis incitamine, ad altiore & potiore laudandi deum causam à sapiente psalte eatur: ut scilicet ibi finis sit laudandi, ibi ue occlusio labiorum & silentium fiat, ubi potissimam laudis causam humana attigerint, prompserintq; labia. Quamquam in uniuerso hoc psalmo potissima illa, & suprema diuinæ laudis causa fileatur. Vt in quo quidem non aliud deum laudandi argumentum, non aliud iubilandi illi specimen recensetur, quàm id, quod ductum ab ijs accidentibus est, quæ deus extra seipsum circa nostram salutem benigne operari uoluit, ut sequentes huius psalmi particule postea manifestaturæ sunt. Hæc enim diuina tantummodo erga nos denarrant opera: ob quæ denunciant illum non immeritò esse omni laude dignum, & festiuo ac triumphali iubilo ab omni ore celebrandum.

Atqui insignior, & longe potissima laudandi deum causa, non ab operibus tantum illius, quæ erga nos contingere, est emendicanda: sed desumenda potius ea est ab sa.

b 4

abso

absoluta & supereminenti ipsius substantia, & ab inenarrabiliū ipsius uirtutum pulchritudinibus, omni quidem laude in se, & propter se dignis, immo omnem Raymundus superatibus laudem. Raymundus Lullius, uir à deo edoctus, satis huic consentaneus rei fit, dum inferiorem & minoris precij iudicat esse eam laudem, quæ tribuitur deo ob solam perceptorum ab eo beneficiorum, & bonorum gratiam: Maiorem autem & potiore uult eam esse laudem, quam deo propter seipsum, & ob illustrissimas ipsius uirtutes, infirma mortalium ora concinunt. Laus quæ tribuitur deo, ob acceptorum ab eo bonorū copiam, similis est prophetico huic eloquio, prodeunti uelut è labijs impiorū, ob ingentem prædam letantium, atq; dicentium: benedictus deus, diuites facti sumus. Benedixerunt ibi iniusti raptores deum, non propter seipsum, non ob intraneam ipsius bonitatem: sed quia ab ingentis prædæ manubijs, quas è populo dei tulerant, ditati, & locupletati sunt. Bonū equidē est, nec modicæ honestatis, ut fieri ex consuetudine à discumbentibus solet, post larga fercula, post fartum epulis stomachum, agere, priusquam è mensa abeat, gratias deo: & in illius laudem ante conuiuij solutionem obnoxia adaperire labia. Sed tamen melius, & maioris precij est eius laudis præconium, & gratior deo ea actio gratiarum, quæ à ieiuno stomacho, & uacuo pectore gratis impenditur deo. Ab illis enim propter escam, & exactas gulæ delicias laudatur deus. Ab hoc, propter seipsum laudes illi, & gratiarum dantur actiones, tanto quidem meliores, quanto ab altiore causa ipse humana discludunt labia

Raymundus  
Lullius.

Zach. II

labia. In presenti itaq; psalmo, non omnino propter sui ipsius immensitatem & altitudinem laudatur deus: sed ob forinseca ipsius opera, & beneficia ea, quæ præstitit populo suo, & electæ ciuitati Hierusalem. Et ab humilibus hic inchoat Psalter, uti à confortatione serarum, portarum, & murorum: quæ planè hostili formidini obsunt, & aduersum formidabilem hostium imminentiâ ualidum obicem ponunt. Is enim confortauit, stabiliiuitq; portas & seras Hierusalem, qui quondam per robustam manû Nazaræi sui Sampsonis, effregit portas & seras hostilis urbis Gaze, & tulit eas in supercilium montis, Iudic. 16 adiacentis urbi. Et qui demum in nouissimis diebus, ubi pacem dederit in uniuersa terra, facturus est bonû istud, ut portæ & seræ Hierusalem, iuxta scripturam, non claudantur amplius per diem & noctem. Quoniam dominus deus, custos illius erit, & habitabit in ea. Et de hac uentura electæ à deo ciuitatis pace, psalmus quinquagesimus hanc orationem in fine ad deum subnectit, Benigne fac domine in bona uoluntate tua Sion, ut edificetur muri Hierusalem: Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta: Tunc imponent super altare tuum uitulos. Psalmus quoque octogesimus secundus ciuitatem dei eam appellat, & fundamenta eius in montibus sanctis iaciunda canit. Fundamenta, inquit, eius in montibus sanctis, diligit dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas dei. Et rursum: Nunquid Sion, dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse, fundauit eam altissimus. Dominus narrabit, in scripturis populorum & principum, eorum qui fuerunt in

ea. Et concludens electorum dei habitatorum eius letitiam ait: Sicut letantium omnium habitatio est in te. Istud quidem intellige de habitatione haud temporaria: sed de eterna, & pacifica mansione electorum dei in ea, quam prepararit deus, ut iuxta uerbū Hieremiæ, sit ciuitas incluta, & festiua, gaudium uniuerse terræ. Et si cum his annumeres psalmū centesimum uigesimum primum, inchoantem ab hac singulari letitia, Letatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domū domini ibimus: nihil profecto canit hic psalmus, nisi exultationē, laudem, & iubilum eorum, qui in eam urbem instauratam cum primis à deo sicut sponsam ornatam uiro suo, ituri sunt. Totius quidē huiusce psalmi prosecutio uenturæ dilectæ à deo ciuitatis paci, miris præconijs applaudit, quam quia breuitatis causa filemus, lectoris solertiæ, speciatim enucleandam submittimus.

### Benedixit filijs tuis in te.

Congruo & apto ordine, ab exteriorum causarum limine, ad interiorum & potiorum denarrationem causarum à sancto psalte itur: propter quas sit humano more dignus laude deus, qui in seipso, propter seipsum, longe supra mensuram operum eorum, quæ erga nos, & propter nos patrauit, omnem transfudit tibi, buccinam uel humanæ laudis. Humana etenim labia non solum imparia sunt laudando in se & propter se, deo: sed & ob ea, quæ erga nos clemēter egit opera, gratias illi agere cōdignas nequaquā sufficiūt. Ab extrinsecis igitur causis, in quibus benefecerit populo suo, & dilectæ urbi  
sue

sue deus, ad intraneas causas reuoluitur ordo psalmo=  
 graphi prophetae, dum à confortatione portarum, sera=  
 rum, & quod subintelligi debet, etiam à solidatione  
 murorum, perguit in denarrandam interiorem bene=  
 dictionem filiorum habitatorum urbis Hierusalem. In Externa in=  
 cunctis rerum ordinibus humana solet consuetudo exte=  
 riorum curam & prouidentiam sollicitudini & curæ præferunt.  
 præmittere interiorum: quemadmodum & ea etiam,  
 quæ corporis sunt, prius homines disquirunt, & si=  
 biipsis accumulunt, quàm ea quæ sunt propria, & ne=  
 cessaria animarum. Excogitatio enim humanarum ar=  
 tium, huius rei exemplum præsto nobis offert. Præces=  
 sit siquidem dudum (sicut ipsa rei necessitas humana  
 ad id ingenia statim ab initio mundi instigauit) mecha=  
 nicarum & illiberalium artium corpori famulantium  
 inuentio: Quam secuta excogitatio artium liberalium,  
 culmen illis posuit. Vt quibus animarum uirtutes, &  
 scientiæ à nobis comparantur. Nutriendus quippe est,  
 & uestiendus homo prius, quàm deceat negociari illū  
 erga capeſendam artem, noticiam, & scientiam trian=  
 guli. Aut quàm etiam queat ab rebus humanis aspi=  
 rare, ferri, & euehi, ad perarduam & sublimem no=  
 ticiam summi dei. Instar igitur eius quod fit in homi=  
 ne, accidit in urbe, uelut in artificiali hominum mansio=  
 ne, ut præmittenda ordine suo, sit exteriorum, idest por=  
 tarū, serarum, & murorum cōfortatio, & consolidatio.  
 Deinde subnectēda interior benedictio filiorū. Conforta=  
 tio enim portarū, & serarū cū sit humilior et abiectionior  
 ipsa animæ salute, hinc ipsam ad corporis salutē, ad custo=  
 die



Esa. 54

die fortitudinē, & arcendā hostilitatem, totā pertinere  
 nulli dubiū est: benedictio autē filiorū uergit ad interiorē  
 rem spiritum, & abundantiam innuit bonorū omnium,  
 tam eorū quæ animo, quàm quæ corporeæ necessitati in=  
 seruiant. Ea igitur quæ pertinent & ad corpus et ad ani=  
 mam dilectæ & sanctæ ciuitatis Hierusalē, innuuntur hic  
 sub utrisq; particulis præsentis uersiculi, donāda & lar=  
 giēda hominibus à deo. Scriptū est enim de ea in Esaia,  
 Montes commouebuntur, & colles contremiscunt. Mife=  
 ricordia autē mea nō recedet à te, & fœdus pacis meæ,  
 non mouebitur: dixit miserator tuus dominus. Paupercu=  
 la tempestate conuulsa, absq; ulla consolatione. Ecce ego  
 sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sa=  
 phiris: Et ponam iaspidem propugnacula tua, & por=  
 tas tuas in lapides sculptos. Et omnes terminos tuos in la=  
 pides desiderabiles. Ecce à propheta de his fit sermo,  
 quæ à deo fient in confortationem portarum, serarum,  
 & murorum dilectæ urbis Hierusalē. Et subinde de in=  
 teriore filiorum eius benedictione, & spiritalium bono=  
 rum plenitudine, & abundantia pacis. Idem propheta  
 cœpti sermonis ordinem complet: uniuersos, inquit, filios  
 tuos doctos à domino, & multitudinem pacis filijs tuis.  
 Et in iustitia fundaberis. Instauranda ergo promittitur  
 in futurum urbs Hierusalem, nō modo iuxta peripheriā,  
 & materiale ambitum corporis sui: sed & secundum  
 interiorem spiritum eorum, qui absque ulla hostium for=  
 midine futuri sunt in ea immortales, & securissimi illius  
 ciues. Idq; non manuario hominum opere fiet, sed indu=  
 stria diuini operis, & ab ipsis manibus dei. Quibus dile=  
 cta

Est urbs utrinque præparanda canitur, ut sit sicut sponsa ornata, uro suo. Aedificanda inquam, auro, argento, & lapidibus preciosis, habentibus claritatem dei. Hæc erit corporea & materialis perfectio dilectæ urbis. Iuxta autem spiritum suum, id exinde obtinebit, ut in ratione superiorum & civium suorum erudinda sit à deo, & fulgore diuinæ scientiæ, tam ab intrinseca animarum opulentia, quàm ab extrinseca murorum, portarum, & serarum illustratione, profus innouanda.

### Qui posuit fines tuos pacem.

Quia dixit sacer Psalter: Benedixit filiis tuis in te: pergit ulterius ea denarrare dei dona ac munera, quæ pertineant ad ipsum munus benedictionis filiorum, quæ stabilita est in affluentia & opimitate cum temporalium tum spiritalium bonorum. Videamus cūprimis, quidnam sit donum pacis, & cuius præsertim rei sit bonum: corporis inquam, an animi. Est autem (ut respondeamus *Pax quid.* ad ipsum, quod quid est) pax uniuersa quorumlibet hostium uacatio. Innuit quidem pax ante se præuiam quandam bonorum plenitudinem, & exuberantiam eorum, quæ cum possidetur in securitate & in quiete, absque inhiante hostium cupiditate (quæ bella, uel ui, uel clandestinis insidijs mouet) & absque ulla formidine aduersantium rerum, tuum pace optata fruimur. In inopia, & in egestate bonorum omnium pax ista minus sedet. Immo etiam sunt nonnulli, qui uix paci isti, ubi desunt omnia, locum dent. Cum (ut uolunt) egeni & inopes absque ut plurimum hostili formidine securi dormitent: ut quibus

bius aduersatur nemo: quibus uel contrariae cupiditatis ar-  
 dor, nullas ponit clā uel palam insidias. Atqui aliter ad-  
 presens humanā totam scrutabimur pacē. Cum sit enim  
 Bona dupli- bonum hominis bipartitum: in aliud quidem corporis,  
 cia. et in aliud animi bonum: dicimus necessarium esse, ut  
 Pax duplex. etiam hominis pacem duplici funiculo partiamur. Aliam  
 quippe nos dicere oportet pacē in securitate corporis,  
 et in plenitudine bonorum illius consistentem. Aliā ue-  
 ro decet nos pacem stabilire in uacatione formidinis er-  
 ga potissimam partem animi, et uersus ea etiam bona,  
 quae animo inuisibiliter obsecundent. Quamobrem cū ne-  
 mo in hoc mundo sit exors corporis et animae, ex qui-  
 bus totam ipsius substantiam naturae hymenaeus fido li-  
 gamine compegit: etiam huc uenimus usq; ut fateamur  
 prorsus neminem esse sub coelo expertem belli, neminem  
 quoque non indignum diuinæ totius pacis, quae potenti  
 manu sua arceat à bonis illius imminuentium insolentiam  
 hostium. Inopes enim et egeni uacant quidem à for-  
 midine amissionis temporalium bonorum, quae non ha-  
 bent, et in quibus fausta fortunae alea, haud eis bene-  
 fauit. Non uacant autem formidine et metu amissio-  
 nis animae suae, quae per incautam saepe custodiam uerti  
 potest in clandestinam inuisibilium aduersariorum pra-  
 dam. Latissima profecto differentia est inter uisibiles  
 Hostes cor- corporis hostes, et inuisibiles aduersarios animae. Illi  
 poris. quidem neglecto hominis, etiam praediuitis, corpore,  
 cuius olidum cadauer futurum mox esca uermium, fru-  
 gi eis non est: sola corporis bona, quae nemo hic uiuens  
 non amat, auferre in usum suum moliantur: ut quorum  
 illicita

illicita cupiditate deflagrarunt. Hi uero neglectis animæ Hostes ami-  
 bonis, uti uirtutibus, & scientijs, quas separare ab oc- mæ.  
 culto animæ sinu non ualent, soli ipsi animæ, quæ immo-  
 bilis scientiarum theca est, clandestinas insidias po-  
 nunt, & occultos tendunt laqueos, ut suæ seruituti, &  
 inmani tyrannidi subdant eam: quam clemens deus, si-  
 cut ad imaginem condidit suam, ita & saluam fieri cu-  
 pit eam, & sui solius stare ueris. Quæ tamen si in præ-  
 dam cedat inuisibilibus hostium, nihil denum superest  
 homini saluum, nihil incolume, nil è tota ipsius substā-  
 tiæ residuum, iuxta istius eloquij ueritatem: Quid pro-  
 dest homini si uniuersum mundum lucretur, animæ ue-  
 ro suæ detrimentum patiat? Potissimum si quidem o-  
 mneq; lucrum est animæ emolumentum. Et omne dam-  
 num, solius animæ detrimentum. Deus patientiam Iob  
 probaturus, dedit inuisibili hosti potestatem: primum Iob. 1  
 quidem in corporeis illius bonis, uti in omni suppellecti-  
 li ipsius, & in filijs etiam eius: deinde & in corpore Iob. 2  
 etiam ipsius, quod totum ulcere pessimo percussit, ita  
 ut testa defluentem raderet saniem. Nusquam autem in  
 anima eius dedit illi uim, & potestatem seuiendi: quam  
 prorsus ab illius seuitia (qui perdere eam, si permisisset  
 deus, potuerat: & efficere prædam suam) seruari illi-  
 batam, sanctam, & intactam uoluit. Et cum tandem  
 consummata omni hostili tentatione, enituit insupera-  
 bilis constantia illius, & robustior apparuit ipsius  
 animus omni iclu aduersantis fortune: tum motus misce-  
 ratione deus, illi benignissime affuit, & supra mensuram  
 prioris felicitatis rursum ei benedixit. Ut cui quidem a-  
 nimæ

Matth. 16

Mar. 8

Luc. 9

Iob. 1

Iob. 2

Duplicia hoīs  
bona, et pax  
duplex.

nimæ tranquillitatem, & corporis incolumitatem resti-  
tuit, & omnium deinceps temporalium bonorum affluē-  
tia plus duplo quàm prius adauxit: & iocunda pace,  
quandiu uixit, illum securissime stabiliiuit. Sicut igitur du-  
plex est totius humanæ substantiæ pars, & duplicia il-  
lius bona: ita & hæc duplicem expostulant à deo pacē,  
geminam uē securitatem, & hostium uacationē. Vnam,  
quæ uisibilem hostium, corporeis inhiantium bonis, ui-  
res cōfringat, & arceat à nobis cacas eorum insidias,  
Reliquam, quæ ab his hostibus qui non uidentur (tanto  
quidē deterioribus & amplius formidādis, quanto quia  
ignoti nobis sunt, minus illos cauemus) animam faciat im-  
munem, securam uē, totiusq; demum formidinis & pau-  
ris expertem. Primam quidem pacem terreni principes  
bello partam interim donant, licet nō perennem, nec im-  
perturbabilem faciant illam. Secundam solus dare potest  
deus, cuius iuxta scripturam potentie solius est animam  
saluare & perdere. Hoc in quo uiuimus & peregrina-  
mur à deo breue seculum, assiduis perturbationibus ob-  
noxium, felicitate primæ pacis, non semper, sed per uices  
gaudet: futurū autem æuum totius belli & pauoris ne-  
scium, utriusq; pacis iocunda requie, & iugi beatitudi-  
ne fruiturum est. In illo enim æuo sublata hostili graſſa-  
tione, & euerso demonum imperio, scribitur & spera-  
tur adfutura electis dei bonorum omnium opulentia. In  
leta & iocunda securitate animarum, & in incolumita-  
te etiam corporum, ubi nulla auræ intemperies, huius pa-  
cis, quietem morbo, aut egritudine ulla uiciabit. Nec ho-  
stilitatis ullius perniciēs illam interturbare, aut animas  
ipsas

ipsas firmissime hærentes deo, separare ab ipso potis erit. Concludemus igitur præsentem, qua de agimus, si-  
 liorum benedictione & pacem, in uersiculis istis psalmi:  
 A fructu frumeti, uini, & olei, multiplicati sunt. In pa- Psal. 4  
 ce in idipsum, dormiam & requiescam. Quoniam tu do-  
 mine singulariter in spe cõstituiisti me. Hæc est enim be-  
 nedictio, hæc indefutura pax, & solida spes eorũ, qui in  
 futuro seculo digni habebuntur deo.

### Et adipe frumenti satiat te.

Vt de ipso adipis nomine cum primis & obiter di-  
 camus. Adeps quidem generale est nomen ad omnẽ pin- Adeps quid.  
 guedinem, siue carnis, siue alterius cuiuslibet rei. In sa-  
 crificio enim Abel iusti legimus: Et obtulit Abel de pri-  
 mogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Et in can- Deut. 32  
 tico Moysi: Butyrum de armento, & lac de ouibus cũ  
 adipe agnorum & arietum filiorum Basan. Et rursum  
 paulò post: ubi sunt dij eorum, in quibus habebant fidu-  
 ciam. De quorum uictimis comedebant adipēs, & bibe-  
 bant uinum libaminũ. Ibi nempe adeps nõ frumenti, sed  
 carniũ, & animalium pingua signat. Hic autẽ, sicut & Psal. 80  
 ibi: Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle sa-  
 turauit eos, specialius trahitur adeps ad pinguedinem,  
 & ubertatem frumenti: ex quo quidem conficitur pa-  
 nis, quæ est prima & substantifica, & per necessaria  
 hominum esca. Quamobrem per adipem frumenti intel-  
 lige hic quidẽ panem, qui in omni esca, sumi à nobis so-  
 let: & qui si mensæ nostræ deest, nullius demum escæ  
 efus, nullius alimonie usus, uel placet nobis, uel bene saltẽ  
 c prodest

prod:st. Rursum autē ulterius perge: ut sicut quidē per  
adipem frumētī intelligis substantiā ipsam panis, ita per  
Panis gene- panē intelligas generatim escā & alimoniā omnē, usui  
rale uocabu- saltē humano aptam & honestam. Et ab ipso etiā deo,  
lum. inter mūda & immunda discernēte, nobis cōcessam, nec  
inhibitā uerti in cibū. Faciemus ergo hic quidē ad prae-  
sens iudiciū idem panis erga cuiuslibet escā speciē: quale  
& solet iudiciū salis fieri in omni cōdimentorū genere.  
Sal. Absq; enim appositione salis liquet escā placere gulæ, gu-  
Matth. 5 stui uē humano nullam: Nā ut scripturæ loquūtur, si sal  
euanuerit, in quo cōdicitur escā? Ad nihilū iā ualet, nisi  
ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Tolle  
etiā à mensæ apparatu panē, tollis mox esculentā omnē  
substantiā, & totius humanæ nutritionis fundamētū. Et  
ne cius rei testimoniū nobis desit à sacris eloquijs, ma-  
nifestū est, in compluribus sacræ historiæ locis per panē  
interim omne hominis alimentū intelligi oportere. Cum  
sanctus Ioseph, unicū pudicitie & fidelitatis exemplū,  
in domo Phutifarī Aegyptij scruiet, scriptū est de uiro  
Gene. 39 Aegyptio, oēm domū suā ei credente: Nec quicquā inqt  
nouerat aliud, nisi panem quo uescebatur. Ibi per panē  
intellige subscribi omnē humanā escam, & uarias gule  
delitias, qbus potētissimus ille Aegyptius splēdide uesce-  
Cap. 20 batur. Simuliter & in libro Regū primo, de Saule rege  
scriptū est: Et uenerūt calendæ, & sedit rex ad comedē-  
dum panē. Identidē & Dauid ad Miphiboseth, filium  
2. Reg. 9 Ionathæ, filij Saulis, utroq; pede claudum, loquens, &  
bona ei in futurū pollicens, dixit illi: Et comedes panē  
in mensa mea semper. In his locutionibus principū &  
regum

regum qui laute & splendide epulabatur, qui iuxta Hieremiā nutriebantur in croceis, & cunctis affluebant delitijs, nemo est qui per panem omnia primæ mensæ fercula, necnō & uniuerſa ſecundæ mensæ bellaria, uno nomine exprimi nō iudicet. Ergo nihil cauſæ habet quis, ut hic forte arguat, quia non in ſolo pane uiuit homo, inſufficientem idco eſſe ſancti pſalmographi ſermonem dicens: Et adipe frumenti ſatiet te: Inſimulans haud ſatiari nutrirī ue hominem ſolo adipe frumētī, uel edulio panis ſolus. Sciāt quidem iſtiusmodi iurgator, & ſat ſit ei iſtud, per panem ſcilicet oportere intelligi cuiuſuis materialis & ſolidæ eſcæ ſubſtantiam: quæ cum largitione dei, tum permiſſione illius, in uſum cedat alendorum hominum. Narrabimus, ut pauxillum hinc à ſacris rebus ad gentes ludibūdī euagemur, id quod de pane narrat Herodotus in uita Pſammetichi regis Aegypti. Pſammetichus Aegypti rex, probaturus quæ eſſet prima & antiqua mundi lingua, quā non hominū cōſuetudo, & arbitratus ſingulorū, ſed natura ipſa infantū labijs per ſeipſam inſudiſſet: infantē quendam, ab uberibus matris auulſum, iuſſit decē annorū ſpatio in obſcuro claudi loco, ibiq; incertis manibus in tenebris ſic alī, & neceſſaria ei ad uitam miniſtrari, ut neminē aut uideret, aut ſe alloquētē audiret. Exacto autē decē annorū interuallo, cogitās rex iam matura & apta eſſe infantis illius labia, ut humanam aliquam per ſe conſlarent uoculam: iuſſit eum triduana affligi inedia, & nullam ipſi eſcam tribus miniſtrari diebus. Poſt triduum rex carceri cum nobilibus ſuis aſtans, iuſſit eum repente, ut erat tridua-

Deut. 3

Herodotus  
li. 2. in prin.



Beccus.

na inedia, & fame laboratē, ad se foras educi. Qui ubi affuit coram rege, mox solutis pro fame labijs, ter cum exclamasse ait ad regem, beccus, beccus, beccus. Admiratus rex quid significatiæ huic subesset ignotæ uoci beccus: missis per mundum cursoribus, inuenit Phœnicum lingua per eam uocē exprimi panem, quem decē annorum puer, tridui inedia & ieiunio fatigatus, sibi à rege & astantibus dari postularet. Eoq; argumēto rex Phœnicum & gentem & linguam totius mūdi primam & antiquissimam esse iudicauit. Cum ad id temporis inter Aegyptios & Schytas grandis de antiquitate, & primatu nationum altercatio uersaretur. Etenim ut etiam Phœnicum antiquitati alludamus, placet nōnullis historijs, iustum Noam, post oppressos diluuiō gygantes, instauratorem mundi, fuisse natione Phœnicem. Necnon & salutarem arcam, distinguente eius cænacula & trigesta deo, in Phœnicia struxisse: licet hæc post diluuiū requieuerit in montibus Armeniæ. Placuit istud cursim hic recensere, ut alluderemus tam ad ipsum nomē, quàm ad substantiam panis, uelut ad primam, ad totam, & antiquissimam hominū escam. Etenim pan etiā græce, παντος ο = totū, & gentilico ritu naturæ deus est. Ob hanc quoq; causam, plurimi etiam agriculturam, mechanicarum omnium artium utilissimam quidem, & primo expetibilem, non ab re faciunt etiam ordine primam, quippe historū deus. minis altricem. Cum sicut prima hominū necessitas est Agricultura auditas alimenti, ita & satiandi esurientis uentris sollicitudo & cogitatio prima in mente hominis sedeat, & uniuersos pruriētē desiderio famis angat. Auguror autē

Herodo

Herodotum beccus ideo panem dixisse, quod hactenus primæ uagientium & esurientium infantium uoces sint uoci huic simillimæ, cū clamēt mox nati infantes beth. Beth. Atq; etiam in allusionem uocis huius, uulgares usq; phodie nostri rostrum animalium, necnon & hiulca hominum labia sua consuetudine beccum appellant: quod in labijs eorum sonat bec: quo quidem ad escam de necessitate sumendam, ex cōsuetudine hiant. Sed iam ab impertinenti & forte fabulosa euagatione nostra calamū sistemus, ut ulteriora prosequamur.

### Qui emittit eloquium suum terræ.

Quia nō in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, & eloquio, quod procedit ex ore dei. Ideo iam post adipem frumenti, quo satiari dixit populum dei, incipit psaltes adiungere id quod perfectius est, ac dicere: Qui emittit eloquium suū terræ. Et ut altius à fonte, & initio diuini eloquij dicere exordiamur, cœpit quidem primum deus per seipsum loqui ad Abraam, ad Isaac, & Iacob, de quibus tamen dixit: Quoniam nomen suū magnum ADONAI, nō indicauerit eis. Non omnia deus patribus loquens reuelauit mox illis: sed iuxta uerbū sapientis differt, & reſeruat in posterū, quod annunciet & reuelet filijs eorum. Promisit patribus deus id, quod in filijs impleri, & ad opus perducere uoluit. Post enim Abraam, Isaac, & Iacob intermisit aliquādiu deus plueræ fœcūdum sui eloquij imbrem, quandiu peregrinus in terra non sua populus eius alienæ genti seruiuit. Tandē uero exauditis precibus ingemiscētis ad se populi, in

Deut. 8

Matth. 4

Lucæ 4

Exodi 6.

יְהוָה

Exo. 3

Exo. 20

Deut. 5

Numc. 12

Aegypto & liberationem à dura Pharaonis seruitute  
 postulantis: iterum, qui diu siluerat, apparuit deus in ru-  
 bo, Et locutus est Moysi, quem iussit redire in Aegy-  
 ptum, & in signis & prodigijs educere inde populum  
 in desertum, quod & factum est. Collocato uero popu-  
 lo in deserto coram uultu suae maiestatis, descendit deus,  
 & apparuit in flamma ignis, in cacumine montis Sinai.  
 Et audibili, ac manifesta uoce alloquens populum suum,  
 & legē ac praecepta eis tribuit: terroremq; suū usque-  
 adeo eorum cordibus immisit, ut iam populus ipse à cō-  
 spectu dei tremēs, expauesceret & recusaret in posterū  
 audire, stans in terra, terrificā uocē summī dei uiuētis:  
 ac diceret Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: Nō  
 loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Dixitq; tū  
 deus ad Moysen: Bene omnia sunt locuti. Quis det eos  
 talem habere mentē, ut discant scire & tinere me? Non  
 loquar amplius ad cos, sed prophetam suscitabo eis, &  
 apparebo ei per somnium in nocte, aut in uisione. Et  
 ponam uerba mea in ore eius, & loquetur mandata mea  
 ad eos. Hoc ergo dei promissum impletū est post Moy-  
 sen. Suscitauit enim deus in sequentibus generationi-  
 bus prophetas, qui pleni spiritu dei, populum docue-  
 runt & erudierunt: & errātem post idola à deo uero,  
 ad deum iterum suum reuocarunt, cordaq; eorum con-  
 uerterunt à pluribus ad unū. Hic igitur imber quē effu-  
 dit deus & pluit in terris super arida & sitiētia corda  
 populi sui per ora sanctorum prophetarum, est sacro-  
 sanctum ipsius eloquium: quo longe amplius, quā solo  
 adipe & pinguedine frumētī pauit deus interiorē &  
 intesti

intestinā populi sui esuriē, & uacuitatē cordiū satiauit.  
 Adesse etenim sacro dei eloquio per ora prophetarum  
 pluenti & mananti, sacra reficiendi, pascendi, & satia=  
 di uim, docet eloquiū istud Esaie: Omnes sitientes uenite  
 ad aquas. Et qui nō habetis argentum, properate, emi=  
 te, & comedite, uenite, emite absq; argento, & absq;  
 ulla cōmutatione uinum & lac. Quare appenditis ar=  
 gentum non in panibus, & laborem uestrum non in sa=  
 turitate? Audite audientes me, & comedite bonum: Et  
 delectabitur in crassitudine anima uestra. Inclinate au=  
 rem uestrā, & uenite ad me: audite, & uiuet anima ue=  
 stra. Ecce ibi exhortatur propheta populum in auditio=  
 nem & susceptionem sacri eloquiū sui, in quo securitatē,  
 bonitatem, crassitudinem, delectationem, & uitam eidem  
 ipsi per id assuturā pollicetur. Quod quidē non de ma=  
 teriali corporis alimonia, sed de sola animæ esca, & ipso  
 dei eloquio est accipiendū: quandoquidem sicut ab esca  
 corporis trahit corpus sanitatē, conseruationē sui &  
 uitā: ita & in eloquio dei, uita, bonitas, & satietas ipsi  
 animæ intrinsecus promittitur. Et paulō post ab eodem  
 propheta arguuntur, & increpantur cōtemptores diuini  
 eloquiū, & amatores somniorū, & sectatores inanis do=  
 ctrinæ. Cū insuper ait: Speculatores eius cæci omnes, ne=  
 scierūt uniuersi. Canes muti nō ualentes latrare uidētes  
 uana: dormientes, & amantes somnia. Et canes impudi=  
 ci nescierunt saturitatem. Culpat enim esurire & nesci=  
 re saturitatem eos, qui contempto pastu & pinguedine  
 diuini eloquiū, uanā, inanē, & insucculentam sectantur  
 doctrinam, quæ animæ in ediam non satiat, sed linquit

Esa. 55

Esa. 56

Hier. 23

esuriētem eam, & fame sitiq; squalentem. Et rursum in alio dicitur loco: Quid paleis ad triticum? Nunquid non uerba mea sunt quasi triticum: uerba autem uestra sicut palea? dicit dominus. Nō ergo mirum si uerbo & eloquio dei, quod tritico, sermēto, & cibo comparatur, permagna dicitur inesse uis, animā inanem & esurientem satiandi. Quod etiam canticum Mariæ, post exaudita ab angelo sacra dei promissa, ostendit: canēs in magna exultatione animi istud: Esuriētes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Luca 1

### Velociter currit sermo eius.

Esa. 55

Parum distat sermo ab eloquio. Quamobrem iuxta consuetudinē psalmorum, suos numeros & ordines habentium, resumptio sola hic fit nominis, Idq; in confirmationem, in augmentum, & maiorem scientiam eius, quod sub diuerso nomine præcurrit, cum dixit: Emittit deus eloquium suum terræ, id est, pluit eloquiū dei per ora prophetarum in corda hominum: sicut imber & nix cadunt, iuxta scripturam, de cœlo in terram, & non reuertuntur in cœlum, sed inebriant terram & germinare faciunt eam, & dant semen serenti, & panem comedenti, Sic & eloquium, & sermo dei germinare faciūt corda hominum, & semine & cœlesti pane pascunt intrinsecam esuriem illorum. Quod autem uelociter currat sermo dei, testis est is qui dixit: Velox est enim & efficax sermo dei, diuidens inter carnem & spiritum, & pertingens usq; ad compagum ossium & medullarum. Nam & cum spiritus sanctus è cœlis super apostolos

Hebr. 4

apostolos descendit, ut & illustraret mentes eorum, & doceret eos uaria linguarum genera, faceretq; ut hi qui prius lingua impediti, & ore ad loquendū tardi erant celeriter amodo fluere sermo eorum: tum in uelocitate & uehementia quadam ignea describitur descensus illius. Factus est enim, inquit scriptura, repente de cœlo Act. 2 sonus, tanquam aduenientis spiritus uehementis: Et appa-  
 ruerunt illis dispartitæ linguæ sicut ignis. In totis nēpe scripturis nō abs re uerbum dei, & sermo illius igni cōparantur: quia nullum sit elementū efficacius igne. Nullum etiam uehementioris, ac uelocioris actionis. Hinc in euangelio, de sermone Christi, testimonium istud tulerūt attoniti pharisæorū ministri, ut cōprehenderent Iesum missi. Cū reuersi ad pharisæos dixerunt: Nūquam sic lo- Ioan. 7 cutus est homo, sicut hic loquitur. Quod quidem impu-  
 tandum est ardori, & uehementiæ sermonis Christi: quæ nimirum uiros ad se comprehendendum missos deterruit, & inanes reuerti coëgit. Erat enim sermo Christi uere Matth. 7 igneus, docentis populum sicut potestatem habentis. Et Mar. 1 non in lentitudine aut tepore uerborum, sicut scribæ eorum, & pharisæi. Et quāquam cum à philosophica ratione tum à scripturæ sacræ autoritate, soleat plerumq; uox siue humana, siue diuina comparari aquis: ut cum dicitur: Et uox eius sicut sonus aquarum multarū. Item, Ezech. 43 & uox domini super aquas, deus maiestatis insonuit, do Apoc. 1 minus super aquas multas, Attamē cū primū faciūda à no Psal. 28 bis est differentia humani sermonis ab eloquio dei: tum uox quidem hominum aquis, & tarso elemento confertur: diuina autem uox igni comparari & solet, & me-  
 6 5 rito

ritò debet. Sed tamen admirationem & scrupum ingerit nobis nunc id unum: Quod si quidem tam uelox est, tam efficax, & ocyssime fluens sermo dei: Cur deus è flamma ardentis rubi loquens in deserto, ad Moysen, reddidit impeditus, & tardius labium illius, quàm fuerat prius? Adeo, ut ob solito maiorem lingue sue tarditatem, & recens labiorum impedimentum detrectans, & timens Moyses reuerti in Aegyptum, & alloqui Pharaonem de populi dimissione & liberatione, diceret deo: Obsecro domine, non sum eloquens ab heri, & nondiu fertius: Et ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris lingue ego sum. Et propterea irascens deus, daret ei Aaron fratrem suum, uirum eloquentem, ut esset ei uelut os suum loquens ad populum. Ipse uero esset ei in his, quæ pertinent ad deum. Et tamen postea idem Moyses tanquam renouato iam ipsius labio, canticum istud cecinerit: Audite cœli quæ loquor: audiat terra uerba oris mei. Concresecat in pluuiam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Iam hic postea fluit eloquium eius ut ros, & pluuiæ: qui prius quia dolet, & arguit se tardis & impeditis esse labijs, dei ministerium pauidus implere detrectat: nec obtemperare deo in Aegyptum se mittenti usquequaque bleso ore audet. Atqui ardua huius discussio dubietatis non est. Sicut enim oculus, cum repente è tenebris ad solem profiliens, oclusas antea palpebras referat: primum quidem à nimia & inopinata solaris radij claritate, uel leditur, uel eius acies paulò obtunditur, atque aliquandiu etiam ipsa betescit, quod longiore morula in consuetudinem uenerit

Deut. 32

rit inspectandæ & hauriendæ lucis, & ab oborta uision= de eius consuetudine, pauorem & formidinem à se prio rem prorsus excuserit: Ita & istud Moyse accidit: Qui cum minasset gregem ad interiora deserti, nihil quidem minus sperans quam de allocutione aut uisione dei: nimirum si ad insolitam flammei & non ardentis rubi uisionē repente infremuerit, & obstupuerit. Et per amplius ubi propius accessit, ad alloquentis se dei terrificæ uerba, uelut totus expauescens, presserit labia, dentibus obtremuerit, linguamq; cōtraxerit introrsus: Et exinde impeditiore quam prius ore, atq; pinguiore palato effectus sit. Vbi autem per tempora deinceps longa in mōmrē & in consuetudinem diuini sermonis cotidie ad se facti, familiarius transijt, tum priscam formidinem omnem & pauorem à seipso excussit. Haud enim loquebatur ad eum deus in uisione, aut per somnium in nocte, sed interdū, & palam, sicuti loqui solet amicus homo ad amicum suum. Et quia, ut ipse quoq; Moyses testatur, qui appropinquāt deo, accipiēt de doctrina illius: hinc factum est, ut proficiente per tempus uerbo dei in Moyse & exuberante in eo sacra inundatione diuinæ sapiētiæ, renouaretur quoque labium illius. Et concretum à repentina, ab inopinata, & prima diuini sermonis auditione labiorum eius impedimentum solueretur. Et in fine fluere citius, & uelox sermo eius sicut ros & imber è cœlo labitur, & in terram cadit impregnans eam. Is enim, cui impossibile esse nihil, canunt scripturæ, qui clausit & uinxit labia Zachariæ, primum ad angelica uerba increduli, & postea repente soluit id quod

strinxe



strinxerat uinculum labiorum eius, & aperuit iterum os illius ut prophetaret: etiam in initio incredulū Moy= sen, quāquam non silentio toto & taciturnitate mulcta= uit, tamen eundem labijs, ore, & lingua quā prius pau= lō impeditiorem & tardiorē reddidit. Postea uero de= terso labiorum & linguae eius, orisq; uicio, os eius, ut imbres prophetarū effunderet, expediuit: et ueloci iterū sermoni aptum fecit.

### Qui dat niuem sicut lanam.

Diximus iam in totis sacris scripturis crebriusculē id obseruari, ut alti sermones, et profunda dei eloquia, per analogiam similia his fiant frigoribus, quae à nube stil= lant, ac decidunt in terram: uti imbri, pluuiæ, niui, gran= dini, & rori, quae aridam impregnant terram, & ger= minare eam faciūt, & fructum proferre. Humana etenim corda terram æmulantur: deus uero ut foecunda nubes est: sermones porrò & eloquia dei, sunt uelut ea quae pa= rit nubes, & quae ab ea labuntur deorsum in foecundan= dam sterilem alioqui, & sitientem terrae aluum. Tria autem potissima & usitatissima, parit nubes, Pluuiam, Grandinem, & Niuem, à quibus anni tempora sicut ipso eorum lapsu uariantur, ita & mira utilitate distin= guuntur. Pluuia aestate utilis est, ut torrefacta à sole & a= dusta terrae superficies ab ea rigetur. Grando consuevit medijs temporibus gigni, uti in equinoctio ueris: Tunc enim ruere è nube plus solet. Nix praesertim hyeme de= cidit, utilis quidē operiendis terrae seminibus, tuendisq; illis à nimia & insolentiore frigoris ui. Haec tria, sicut

distin

Nubes tria  
gignit,

Pluuiam,  
Grandinem,

Niuem.

distincte sursum nascentia, ita & in imo efficiētia unū,  
 nimirum diuinarum trium personarum mysterium sat  
 planè nobis exponunt. Cuius tamen ampliorem mentio-  
 nem nunc proposito huic impertinentem linquemus. In  
 uno enim ē tribus, idest in sola niue nūc stabimus, quam  
 ob eximium cādozem à iusta similitudine docti omnes  
 innocētiæ ac puritati animi, & tam personæ ipsi, quàm  
 dono spiritus sancti parem ac similem faciunt. Fons qui-  
 dem & initium colorum omnium lux est. Lux uero,  
 quæ creata est omnium prior (Nam ante omnia, dixit **Gene. i**  
 deus, fiat lux) in pura & candida albedine figuratur.  
 Albedo ergo uelut fons etiam & initium colorum, tin- **Albedo.**  
 gi & aspergi potest colore omni: quēadmodum & in-  
 nocuus ac purus adolescentis animus, in omnem uerti  
 potest uirtutum aut uiciorum effigiem. Nigredo, ut **Nigredo.**  
 albedini cōtraria, ita & ipsa uelut omnium meta colorū  
 nullo deinceps colore tingitur. Idq; ostendit animum,  
 post illitos in se habitus uiciorum, uix denuo ad uirtu-  
 tem fieri posse rediuiuum. Albedo quæ est innocentie  
 typus, sic innata est niui, & inseparabilis prorsus à ni-  
 uea substantia, ut nulla usquam gigni queat nix à con-  
 trarij coloris maculis imbuta. Decidit autem in terram  
 nix, non repentino casu, nec in impetu, ut grando: nec  
 tam sparsa, ut pluuia: sed lenior grandine, & collectior  
 imbre. Quæ cum in terram cadit candidæ lanæ floccos  
 emulatur. Quamobrem canitur nimirum istud à psalte:  
 Qui dat niuem sicut lanam, Intellige nō sicut lanam om-  
 nem, sed sicut floccos lanæ candidæ & albicantis, quæ  
 cœlestium rerum mundiciam, & innocua eximie puri-  
 tatis

Gene. 30.

Iudic. 6

tatis signa præ se fert. Perpetuò unicolor est nix, & tam in omni parte sua, quàm in tota sua specie cãdida est, & semper cãdicans. Et potius quidem à coloris ui in aquã defluens, quã naturalem sui candorem unquã demutãs. Lanam cernimus uaricolorem exoriri, quod in ouibus Iacob uario et maculoso colore respersis accidit. Et rursum ea quidem lana, quã natura candidam genuerit, ab hominis demutatur industria, diuersumq; colorẽ induit. Quod quidem non fit in his quæ sursum labuntur, & quæ longe à nobis nascuntur: uti in niue, grandine, pluuiã. Ars enim hominis potestãtẽ in his nullam habet in natum naturæ colorem immutandi. In his duntaxat quæ terra gignit, quæ deorsum, & iuxta nos in imo nascuntur, uim habet manus & industria hominis, ut naturæ colorem uariet. Vt in uellere lanæ accidit, quod ab arbitrio hominis tingitur in quem colorem libuerit. Id quidem uellus lanæ, quo Gedeon in area nocte posito tenuit bis deum indubitatæ petens uictoriæ signum, quale æquidem, & cuiusnam coloris fuerit, scriptura non exprimit, Sed coniiciendum satis est, obtulisse illum deo uellus lanæ candidæ, è quo post primam tentationem nocte consurgens, expresso, ut ait scriptura, uellere concham roris impleuit. Aestas tunc erat apta bellis, quæ gignendæ nuui nõ congruit, sed generationi roris aptissima fit. Quamobrem non niue diuinus pugil petijt uellus lanæ diuinitus aspergi, quod fuisset præter temporis naturam: sed solum rorem, præter cõsuetudinem, in solo uellere à deo fieri postulauit, & in omni reliqua terra siccitatem. In secunda autem tentatione contrarium à deo

deo sibi dari futuræ victoriæ signum exegit: ut iuxta morem in omni quidem terra ros fieret, sed in solo extento uellere siccitas, non tam naturæ miraculo, quam diuina uoluntate naturam cohibente appareret. Hæc quidem duo signa in quibus inclýsus uir, ad bellum dei uoluntate iturus, tentare deum ausus est, ut formidinem hostium à se excuteret, & securior letior ue pergeret, nonnihil mysterij tegunt: quod tamen referandi hic locus nõ est. Sat nobis hic sit, iuxta sancti psaltis intentionem detexisse, cur cecinerit ipse niuem dari à deo, & emitti in terram sicut lanam.

### Et nebulam sicut cinerem spargit.

Ab effectu in causam, & ab inferioris rei limine in rei superioris cardinem resilit sancti psaltis oratio. Nix enim, de qua pars locuta est prior, effectus est & paratus nubis: decidens quidem instar flocci è nube in terram. Nebula autem seu nubes causa est & fons uel mater niuis: Et non solius quidem niuis, sed & cum niue etiam imbris & grandinis. Nam ab his tribus nube labentibus diximus uaria rigari anni tempora, & fœcundari terræ aluum. Nunc ergo confert sacer psalmus expansionem nubis, dispersioni cineris: cum tamen latissime dissimilitudinis sit istius comparationis linea, inter nebulam seu nubem, & cinerem protensa. Nubes enim Nebulæ et cinis humidus est, & rursum in aëre pendula, leuis, & contineris comparatio. Cineres aridi, terrestres, ponderis non minimi, & ratio. Ecce cum in cunctis eorum qualitatibus permagna nobis oboriatur

oriatur nebulae & cineris dissonantia, fieri tamē hic miramur iuxtapositionem & comparisonem quandam amborum. Sed uideamus in qua potissimum re, & quatenus fiat hæc iuxtapositio eorum. Non utiq; hæc sit in appensione substantiæ, aut in ipsa mutuarum perspectio ne qualitatum, Sed in accidente quod prouenit aliunde: uti ab eo quod quidem à motu & dispersione oritur amborum. Intellige cum primis istic quidem idem esse cinerem, & puluerem, & arenam. Atq; confice iam tibi similitudinem hanc inter nubem & cinerem: quoniam sicut ab impetu uenti uniuersa terræ superficies facile obsidetur operiturq; pulueribus, arenis, & cineribus: ita & perfacile screnus cœli uultus raptis à uento contegitur nebulis, & operitur nubibus, ut & alius psalmus canit: Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiā. Terra quidē ante lapsum pluuiæ arida est, & ut arida parū distat, imò nihil ferè abest à cinere, à puluere & arena: Vbi uero arida terræ superficies inebriatur imbre, tum desinit terra esse puluis, & cinis, & arena. Ab humoris quippe uinculo coit mox in glebulas, & in compactæ solidæq; molis substantiam pastinatur. Iusta igitur istic fit, nec omnino incommoda, nec inepta ratio nubis & cineris, qua sicut præpotens dei manus cinerem, idest puluerem, spargit in terra, & operit puluere superficiē terræ: ita & eiusdem afflatus repente uniuersum contegit cœli hemisphærium, operitq; illud nubibus, ut paret terræ pluuiam, & arenas illius fecundet. Is enim istud quidem repente, & in instanti in una facere regione potest, qui quondam per manus Moysi tulit cinerem de camino,

Psal. 146

mino, & sparsit illum in aërem corā Pharaone, & factus est pulvis in uniuersa terra Aegypti: Et in hominibus, & in iumentis excreuerūt ulcera, & uesticæ turgentes. Qui etiam in propheta Esaia de seipso canit: Induā celos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum. Qui etiā induitur uestimēto ultionis, & operitur quasi pallio coeli ad uindictam & retributionē hostibus suis. Et ut adhuc pauxillū de nube & cinere dicamus, Nubes, anibes crebriusculē à nobis in signū & significantiā perturbatiōis animi trahi solet: Nam & perturbatum dicimus esse cœlum, cū nubilum est, & allatis à uento cinis poenitentiæ nebulis plenum. Cinis autem uulgò inter mortales stratus est poenitentiae, & meroris indumentum. In propheta est: Nunquid ieiuniū istud ego elegi, affligere hominem animam suam, & saccum & cinerem sternere? Achab rex Samariæ, in correptione Helie indutus est sacco, & ambulauit demisso capite corā deo. Impetravit ob id dilationem diuinæ ultionis, à delicto suo, usq; in dies Ioram filij sui. Ezechias in uerbis Rapsaces principis Babylonis amictus est sacco, misitq; etiam seruos suos saccis optos ad Esaiam: ut promererentur eius oratione dei ueniam, & liberationem sui à facie Sennacherib, regis Babyloniorum, Hierosolimam obsidentis. Et cuncti olim, qui poenitentiā agebant tam reges, quàm populares sub se cinerē sternebant. Et induti sacco uel cilicio, ut propiorē dei miserationem obtinerēt, in cinere sedebāt. Hæc de analogia nebule & cineris dicta sint: quia utraq; ad perturbatiōes animi, & ad signa poenitentiæ spectāt. Cinis quoq; aliud quiddā in se signū d habet

Exo. 9

Esa. 50

Esa. 58

3. Reg. 21

*habet, quod repurgationis & expiationis macularum, & sordium indicia præ se fert. Nam excocti in aqua cineres lotium cōficiunt, cuius acrimonia mulierculæ lintheolorum suorum maculas detergant.*

### Mittit crystallum suā sicut bucellas.

*Idcirco hic crystallum suam dicit: quia omnia quæ fecit deus, dei solius sunt. Scriptum est enim: Domini est terra, & plenitudo eius. Hactenus locutus est psalmus de his quæ è sursum, uti uel à deo, uel è nube labuntur in terram: de his quidem quæ manant à deo, cum dixit: Qui emittit eloquium suum terræ, uelociter currit sermo eius. Eloquium enim dei, seu sermo illius superiorem aërea regione originem & causam habet. Et foetura nubis non est: sed aliquid cum aëre excellentius, tum fecunditate nubis sublimius: quod à deo secretius exoriens, per ora prophetarum pluit in terras. Et non tam equidem in terras, quàm in corda & in pectora hominum, instar aridæ terræ sitientia ad deum. Sicut scriptum est:*

*Psal. 41 Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te deus. De his uero, quæ è nube decidunt, mentionem iam fecit, cum in præterito uersu cecinit: Qui dat niuem sicut lanam: & nebulam sicut cinerem spargit. Nūc autem ad inferiora quidem sed solidiora & præstantiora descendit: uelut ad crystallum (quod forte uerisimile etiam est, & satis ipsi rei quadrat) uelit intelligi debere grandinem, quam deus è nube mittit excutit ue in terras sicut bucellas. Id est, sicut glebularum panū, uel quarumlibet fragmina esearum: uel*

uel sicut bolos, quos à bucca Latini buccas, uel in dimi-  
 nutione buccellas, id est buccas paruas appellant: tantil-  
 lum scilicet escæ, quantum potest una uice ori hominis in-  
 trudi. Quamobrem citius crediderim, hic quidē per cry-  
 stallum ob similitudinem intelligendā esse grandinem, ē  
 nube deorsum in terras labentem, potius quā solidā cry-  
 stallū, eam scilicet quæ in cryptis terræ, & sub imis mon-  
 tium radicibus diutissimo & intensissimo frigore mul-  
 torum annorū spatio sic congelascit cōcrescit ue, ut de-  
 incept (instar reliquæ glaciei aut niuis) solui nequeat à  
 calore solis, aut ignis. Haud enim deus terrestre crystal-  
 lum, in subterraneis locis nascentē, mittit in terras sicut  
 buccellas, cum ibi sub radicibus montiū in magnam &  
 ingentem crystallus molem coalescat, quæ haud aliter  
 quā securibus inde euelli & auferri queat. Adde quod Sacræ triadis  
 facer psaltes mysterium istud in psalmo hoc obseruat: mysterium.  
 ut iuxta exemplum & numerum triū diuinarum perso-  
 narū sigillatim ad tres nubiū partus, focturas ue plausi-  
 bilis lyra ipsius alludat. Nā in ante præcedēti uersu de  
 eloquio, & sermone dei, quæ pluuie cōparatur & im-  
 bri, ab eo facta mētio præcurrit. In præcedēte uersiculo  
 niuē submisit. In præsenti de grādine sub crystalli nomi-  
 ne lyrā suā, & leta ora in dei laudē mouet. Quod si nō  
 de grādine, quæ cito liquefit à sole uelit quisspiā præsen-  
 tem uersiculum intelligi oportere: sed malit uerti debere  
 intelligentiā illius ad uerā solidāq; crystallū, quā frigus  
 intensissimū usqueadeo strinxit, ut nequeat deinceps ab  
 ignis calore, aut à solis æstu instar cōmunis glaciei dissol-  
 ui huius opinioni ultro subscribemus, nec ab eo in pūcto  
 d 2      dissen

Buccella.

Imber.

Nix.

Grando.



diffentiemus. Cum etiam in quibusdam plagis & partibus orbis in media aëris regione uera crystallus cū cōmuni grandine gigni, concrefcere, & in terras è nube decidere, frequens experientia docuerit. Nam & diuerfissimi generis lapides media aëris regio pſæpe gignit. Et interdum quedam etiā animalia aliorum mediæ regionis aëris è reſoluta nube excutit ab alto in ima. Quamobrem nihil diffentimus de crystallo intelligi præſentem ſermonem oportere: uerum id nō de terreſtri crystallo, naſcente in cryptis montiū: ſed de crystallo cœleſti, quæ cum grandine è nubium ſolutione decidit in terrā, accipiendum eſſe contendemus. Non enim temeraria & ordinis expers eſt ſancti pſaltis laudatoria locutio, quæ à triplici partu, & effectu ſublimium, & pendentium in aëre nubium concinit opera dei, mira proſecto, & laude digna facientis. Erumpitq; à feſtiua & geſtiente cordis letitia in laudem illius, & dat gloriam illi: Primū quidem ut ſermonis ſui & eloquiū imbrē eiaculanti: deinde ut inſtar læni niuem excutiētī: poſtremo ut inſtar grandinis, ac buccellarum panis crystallum etiā ſuam in terras mittenti. Porro de buccella panis (cui potiſſimū intelligendum eſt hic crystallum comparari) habemus in Geneſi de Abraam: cui cum ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo ſeruore diei apparuiſſet dominus in ſpecie trium uirorum, adorauit pronus in terra, & dixit: Domine, ſi inueni gratiā in oculis tuis, ne trāſeas ſeruū tuum: ſed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes uestri, & requieſcite ſub arbore, ponamq; buccellā panis, & confortetur cor uestrum, poſtea tranſibitis. Habemus

Buccella panis.

Gene. 18

benus & in Helia, ubi à fætigatione itineris esuriens ipse ad Sareptanam mulierem uiduam exclamauit: Affer obsecro mihi & buccellā panis in manu tua. Et in euangelio Ioannis, cum dixit dominus ad Ioannem, super petrus ipsius in coena recumbentem, & interrogantē: Domine, quis est qui tradet te? Et respondens dominus, Ille, inquit, est, cui ego intinctum panem porrexero: & cum intinxisset panē, dedit Iudæ Simonis Scariothis. Et post buccellā introiuit in eū satanas. Nimirū is, qui futurus erat coelestis panis, & salutaris hostia uniuersorū, p buccellā panis eū unū, qui nō cōcorditer secū sentiebat, semouit ab unanimi coetu & contubernio iustorū, ut diceret etiā ei palam, uelut passioni propinquus, quod facis, fac citius: optans qdē, quia uenerat hora eius, iam id fieri, cuius gratia factus homo, tradi à discipulo uoluit in manus impiorum. Et quia nō in solo pane uiuit homo: etiam per nomen buccellæ intellige innui hic glebam omnem, uel fragmen cuiuslibet materialis escæ aptæ hominī ad uestendū. Sicuti etiā in totis sacris eloquijs sub publico & unico nomine panis cōprehēditur id omne, & innuitur nobis, quod honestam cedit in escam.

Ante faciem frigoris eius,  
quis sustinebit?

Iam præmisimus tres effectus & partus nubis à Psalmodographo nostro in præcedentibus huius psalmi uersiculis mystice compræhēdi: scilicet imbrem, niuē, & grādinem, quæ mysterium diuinarum trium personarū habent: idq; non obscure, sed plane. Et tam inquam ex nu-

mero suo, quàm ex proprietatis & similitudinis suæ imitatione. Imber enim seu pluuia, per sermonem & eloquium dei innuitur: cum in sacris scripturis sermo dei pluuie & imbri sæpenumero cõparetur. Nix uero expresso suo nomine palàm edocetur. Grando apta similitudine sub crystalli appellatione figuratur. Et qui hæc tria è nube oborientia, & impregnãtia sitientem terræ aluum perpēderit paulò altius secū, inueniet sub eis mira proportionē escam, potum, & uestimentum hominis tacita significantia referari. Nam per pluuiam & imbrem, id est per eloquium dei & propheticum sermonē quid aliud quàm potus hominis nectar ue & cœlestis quedam ambrosia, humana rigans corda, nobis refertur? Per niuem quæ operit terræ superficiem, & quæ etiam à laudatore nostro comparatur lanæ, intellige nihil aliud, quàm hominis exprimi uestimētum, quo tegitur corpus illius: deniq; per solidam crystallum & grandinem, quam eiaculatur deus ab alto in terras sicut buccellas, & ut fragmina panum, intellige secretius referari omnē escam hominis. Nam comparatio crystalli ad buccellas, rationē istiusmodi significationis & uim latentis mysterij satis adauget: liquida enim & mollia istic præmittuntur. Et solida fortiora ue subsequuntur. Nam etiam hominis alimentatio & enutritio à liquidis inchoat, ut in infantibus experientia docet, qui molli lacte, aut sorbili pulte aluntur: deinde maturior ætas solida & firmiora sibi adsumere fercula solet. Nunc uero cum subinfertur à psalte nostro: Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? recēsetur ingens, & humanā superans

rans uim causa istorum quæ prædiximus triū nubis effe-  
 ctuum, pluuiæ, niuis, & grandinis. Causa etenim eorum  
 est frigus mediæ regionis aëris. In qua & nubes nimio  
 frigore crassescit, densatur ue: & pluuiæ, nix, & gran-  
 do eodē algore concrecentes, & è resoluta nube in imū  
 labentes terras alluunt. Quod autem dicit: Ante faciem  
 frigoris eius quis sustinebit? (quasi dicat nullus) docet  
 diuinum frigus, humanam prorsus excellere uirtutem,  
 & hominem neminē aut tolerare posse diuini intensis-  
 simi frigoris uim: aut posse gignere ea, quæ diuino al-  
 gore frigoreq; in excelsis gignuntur. A propheta di-  
 ctum est: Quis poterit ex uobis habitare cum igne de-  
 uorante? Ita & decantari nunc potest: Quis poterit ex  
 hominibus stare cum frigore dei, omnia constringen-  
 te? Deus quidem, cum omnia sit, & ignis est & frigus  
 est. Qui ut ignis deuorans repentinis flammis olim per-  
 didit pentapolim, id est ciuitates quinque, Sodomam, Go-  
 morram, Adama, Seboim, & Segor. Et rursum ut fri-  
 gus constringens eodem temporis momento in lapideā  
 duriciem uxorem Loth, angelicæ uoci inobedientem, &  
 uultum à uia retrorsum auertentem transmutauit: cor-  
 pusq; ex carne & ossibus compactū in statuā salis uer-  
 tit. Porro in alio psalmo suo noster psaltes cōiungit ca-  
 lori & igni, ea opera dei quæ à frigore proueniūt, ut  
 cū dicit: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarū,  
 quæ faciunt uerbū eius. Et in cantico benedictionis triū  
 puerorum etiam contraria, à calore & frigore nascen-  
 tia, annectuntur inutuo: ut cum cecinerunt in fornā-  
 ce ignis astante cum eis angelo summi dei: Benedicite

Esa. 33

Gene. 18

Psal. 148

Daniel. 3

d 4 ignis

ignis & æstus domino: benedicite frigus & æstas dño. Benedicite rores & pruina domino: benedicite gelu & frigus dño. Benedicite glacies & niues domino: benedicite noctes & dies dño. Benedicite lux & tenebræ domino: benedicite fulgura & nubes domino. Ibi quidē in cōtrarijs operibus dei, & cōtrarias habētibus causas, benedictio dei & sacræ ipsius laudis præconiū puerili ore in mystico ternarij numero decantatur: ut ostendatur deus & nihil prorsus non fuisse, & nihil etiam ipse nō esse: Et cōtraria quidē perfecisse, & contrariorum etiā uim in seipso concordē, unanīmē, & pacificatā habere. Et sicut cū illius calore & igne deuorante habitare potest nemo, ita quis usquam erit, qui (iuxta præsentis lyræ cōcinentiam) à facie frigoris eius sustinebit? Sed si quid altioris & latētioris mysterij habeat præsens laudatorius sermo, sequens uersus edocebit.

## Emittet uerbum suū & liquefaciet ea.

Iam istic incipit declarari & aperiri occultorū ratio mysteriorum, quæ hactenus sub uelamine uerborum in tenebris latuit. Dixit præmissa nuper particula superioris uersiculi: Ante faciē frigoris eius quis sustinebit? tanquam sit frigus & algor dei humanam omnem superans uim, cogens quidem & cōstringens ea, quæ soluere non potest uis humana. Frigore concrescunt in aëre nubes, effectus quoq; partus uel nubium, pluuia, nix, & grando, siue crySTALLUS eodem algore in media aëris regione crassescunt. Nā etiā & crySTALLUS interim gignitur in nube, & in media aëris regione, à qua deorsum  
cum

cū grandine excutitur. Sed uidendū, quid sibi uelit psal-  
tis nostri intentio per frigus, per nubem, & per effectus  
nubium qui frigore coalescunt. Manifestum est, quoniā  
non aliud his honestis uelaminibus innuit, quā sacrum  
dei eloquium, & ambigua prophetorum sermonum  
inuolucra, quæ mystica dei sensa tegunt. Hæc enim ab  
hominibus ante exortum lucis, idest ante aduentum filij  
dei, inattingibilia fuere, & infirmis mortaliū oculis pe-  
nitus ignota steterē. Ideo enim præmittit hanc locutio-  
nem, Ante inquit faciem frigoris eius, quis sustinebit?  
Idest, quis enigma illius resoluet? quis diluet altissima sen-  
sa illius à ui intolerabilis frigoris constricta & compræ-  
hensa in nube, in imbre, in niue, in crystallo, & in gran-  
dine: idest, in gelidis & insolubilibus uerbis propheta-  
rum: quæ ante ortum ueri solis, ante aurea lucis radium  
nullam sacræ intelligentiæ suæ cuiuscrationem, nullā suæ  
dilutionis uim habuere. Quamobrem nunc opportune  
eidem locutioni submittit lyra præsens istiusmodi sermo-  
nem: Emmittet, inquit, uerbum suum & liquefaciet ea.  
Præmisit dudum eloquium deus suū in terras, ore pro-  
phetarum pollicens, ac spondens se in posterum emissu-  
rum uerbum quoq; suum, quod compleret, quod lique-  
faceret & adaperiret ea, quæ quondam sub enigmatē lo-  
cuti sunt prophætæ. Nam cum prius cecinit noster psal-  
tes: Qui emittit eloquium suum terræ: tanquam de præ-  
senti, & de his quæ suo tempore fiebant, locutus est. Cū  
uero postea subiungit: Emmittet uerbum suum & lique-  
faciet ea: haud de præsentī istam locutionem profert, sed  
de re uaticinatur futura: spondens quidem & promit-  
d s tens

Eloquij ac  
uerbi dei di-  
stinctio.

Accidentarius  
sermo.

Substantiale  
uerbum.

tens mittendum à deo uerbum, quo liquefierent tandem  
& soluerentur renascitura posteritati sacra propheta-  
rum oracula, & arcana eorum pronunciata: quæ quon-  
dam patribus, & sanctis primordialis mûdi patriarchis  
prorsus incognita & in intellecta mansere. Distingue-  
mus igitur iuxta sensum equidem nostrum hæc duo nunc  
contra se, eloquium inquam & uerbum. Et struemus in-  
ter ea discipline doctrinæq; gratia altissimam quandam  
contrariorum maceriem, uelut frigoris & caloris, no-  
ctis & diei, ignorantie & lucis, numeri & monadis,  
& utriusq; deniq; testamēti. Effudit enim, emisitq; deus  
cum primis in terras suum frigus, & sui frigoris effe-  
ctus, ante ignem & calorem. Nox quoq; præcessit, dies  
autem appropinquauit. Ignorantia ueri dei, quondam  
uniuerso incubuit mundo. Nūc promissa exorta est lux,  
quæ præteritas mundi tenebras discussit. Antecessit pro-  
phetarum numerus, sacra uenturae monadis prænūti-  
us. Aduenit postea sacra è cœlo monas, ea quidem implēs,  
quæ præcurrens seruorum numerus absque monade ste-  
rilis & infœcundus concinuit. Accidentarius & uocalis  
dei sermo quondā sub nomine diuini eloquij in prophe-  
tis sedit. Substantiale dei uerbum felici æuo subsecutum,  
per uirginem in mundum uenit: habitans in monade ho-  
minis, idest in unitate humane personæ, quæ algētia,  
& gelu concreta prophetarum eloquia sui caloris uigo-  
re & æstu liquefecit, et abdita in eis sensa, quæ de seipsa  
erant, non modo palam reserauit, & aperuit, sed etiam  
seipsam id esse quod illi præcinuerant edocuit. Non est  
ergo expers mysticij præsens locutio quæ aduentum  
pro

promittit filij dei, & incarnationem uerbi, quam deus iuxta patrum sponſiones in nouiſſimis diebus impleuit. Et non tam equidem id fecit deus ut implerentur ueridica prophetarum uerba, uerum præmiſit prophetas ut ea præcinerent, quæ fieri ipſe ante ſecula apud ſeipſum ignoto mortalibus conſilio prædeſtinauit. Non enim quia locuti ſunt prophætæ, ideo hoc facere uoluit deus: Sed quia fieri iſtud ab æuo præordinauit, hinc prophetarū corda uatidico ſpiritu afflauit, & eorū ora uetutorū prænuntia reſerauit. Nō ob cauſam accidentis fecit ſubſtantiā deus: ſed in uetura ſubſtantiæ pignus accidetis æras in ſeruis ſuis præmiſit: et ſacræ monadis aduentū in numeri præmiſſiōe explicuit. Iuſtū enim fuit, ut ante ortū ſupſubſtācialis uerbi tuba uocalis eloquij præcureret: Et ante apparitionē ueri diurniq; ſolis, frigora noctis & cruda enigmata ſui eloquij ſub caligine & nube ieiunis mortalibus deus offerret: ut qd' abſente uera ſapiētia uelut noctu præmiſſū ſtabat ambiguū, ipſius tādē ueræ ſapiētiæ præſentia & ſacræ lucis ortus reſeraret.

### Flabit ſpiritus, & fluent aquæ.

Præcedētes uerſiculi huius psalmi locutionē de præſentia habuerūt. Id eſt, de his locuta ſunt, et hæc præcinerūt, quæ eo tēpore fiebāt, quo psalmographi huius lyra psalmū iſtū cōcinuit. Nūc uero à præſentis tēpis locutione, et ab eorū denarratione quæ tū fiebāt cōmutatur pphecticus ſermo in tēpus futurū: Id eſt in ſpōſionē & promiſſionē futurorum: ut cū iam prædixerit, Emittet, inquit, uerbū ſuū & liquefaciet ea. Et cum in confirmationem

⁊



Gene. 1

& adiectionem amplioris mysterij addit priori locutio-  
 ni hanc secretioris & occultioris theoriæ allatricē: Fla-  
 bit spiritus, & fluēt aquæ. Præmissa huius uersiculi por-  
 tio diuini uerbi ortum in terris sponondit, & uetustum  
 nonnunquam docuit. Portio uero præsens aduentum spi-  
 ritus sancti in eos, qui uirtute & calore uerbi renascitu-  
 ri secundum deum erant, ostendit. Et non solum sancti  
 spiritus lapsum aduentumq; in Christi apostolos hæc  
 uerborum series innuit: sed & eorum profectiōem in  
 orbem terrarum, diuini propagandi uerbi gratia, mani-  
 festis uerbis textit. Spiritus quidem domini ab initio fe-  
 rebatur super aquas, ut è liquida aquarum substantia ma-  
 teriam primam rigante, & uacuam alioqui tenebrarum  
 abyssum complente, cunctorum entium ab agente spiri-  
 tu nascerentur genera, & educerentur ea in lucem, quæ  
 prius adoperta tenebris latuerant in abyssō non entis  
 & nihili. In nouissimis rursum diebus missus post uer-  
 bū, & à uerbo dei flauit spiritus in terras. Et à flamine  
 illius concitatæ uitales aquæ fluxerunt in orbem terra-  
 rum, quæ hominibus aridis, & emortuis corde, sacra sui  
 humoris alluione uitam peccato amissam redderent, &  
 peccatorum sordes detergerent, Imò antiquissimam pec-  
 cati radicem, concessa sibi ad id efficacissima dei opera-  
 tione, penitus succiderent. Nix & grādo cum in terras  
 è nube labuntur, quandiu uiguerit dura algoris & hye-  
 mis uis, tandiu fluere, & in aquarum riuulos solui pro-  
 hibentur. Vbi autem paulò pertransijt hyems, frigus ue-  
 desijt, ubi consistens in sua sol altitudine, imam terrarum  
 superficiem suo calore & æstu adurit, tum nix & gran-  
 do,

do, quas exactus hyemis & frigoris peperit alior, soluitur in stagna aquarum. Ideo quidem in stagna aquarum, quia nondum in riuulos illico defluunt aquae, nisi à spiritu eas dimouente agantur in ima. Sed primum uel emortuae quiescunt, & in loco uno in modum stagni consistunt. Aduētus ergo CHRISTI in terras liquefecit exacta prophetarum frigora: qui in hyeme & sub prisca nube imbres dei arētibus hominibus ueridico ore pluerunt: Id est, ignota & duriuscula eorū eloquia molliuit, retextit, & discipulis suis ardua eorum sensa adaperuit. Atqui quanquam liquefacta ab aduentu & praesentia CHRISTI fuerint alta & densa prophetarū frigora, nix, grando, pluuia, quid tamen tum queso genuerunt? Non in latices & riuulos aquarum mox ierūt: sed emortuas ad id temporis aquas pepererunt. Nam in loco uno instar stagnātium aquarum solutæ à calore dei, apostolorum undæ constiterūt: expectantes quidē promissum desuper spiritum, qui quietas in cam usq; diem eorum aquas moueret: Et dirupto qui oberat motioni prae-rupto Iudaeorum uallo, stagnū ipsum apostolorum in uaria flumina adaperiret, & cogeret decurrere in ima uitales eiusmodi aquas, quæ irrigarent, & alluerent uniuersam aridæ terræ superficiem. Liqueet ergo quam necessarius fuerit aduentus CHRISTI, ut frigora prophetarū suo calore solueret: & eliquatas inde aquas cogeret primū quidē uelut in stagnū unum, priusquam fluerent in mundum. Nec minus etiam perspicuum est necessarium quoq; fuisse aduentū spiritus sancti post emissionem uerbi, qui uallum confringens apostolicarum aquarum,

Act. 2

quarum, consistentium timore Iudeorum prius in loco uno deriuaret foras, et ageret eas in riuulos: Quiq; eos quos inimicus Iudeorū liuor ac timor adunatos in una domo ligabat, dispergeret in fines omnium mundi nationum. Quamobrem & in aduentu spiritus sancti meminit sacra scriptura apostolos domini timore Hebræorū in loco constituisse uno. Dum enim, inquit, complerentur dies pentecostes erant omnes discipuli pariter in eodem loco: Et factus est repente de cœlo sonus, tanquā aduenientis spiritus uehementis. Spiritum quidem hunc ideo uehementem appellat, ob igneam ipsius uim, qui etiam tum in igne è sursum labi uisus est. Innuens quidē spiritum dei sanctum non esse tardum, non pigrum, nō emortuum: sed efficacem, promptum, & in actione properū, expeditū, uelocē: qui omnia mouet, quiq; motionum & actionū omniū causa est. Nā etiam hic repēte atq; in sono, quē oēs audierūt, inq; crepitu magno è cœlis descendit, ut qui largiturus erat apostolis sacrū uocū & linguarū munus ut impleretur in eis quod scriptū de ipsis fuit, In omnem terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ uerba eorum.

### Qui annunciat uerbū suum Iacob.

Recurrit nūc præsens psalmus à futurorū spōsione et pmissione bonorū, ad locutionē præsentaneā: quippe rursum ad prophetarū oracula & præmissa dudū eloquia pertinentē. Annūciauerūt enim prophete uenturū quidē uerbū: Caterū nō sibi, sed nobis ipsi locuti sunt & prophetarūt. Id enim quod prænūciarunt dudū, non sub eorum

rŭ tempore euenit, sed in ueturis generationibus effectũ  
 iuxta dei uoluntatem accepit. Ouicula lanã & uellera nō  
 sibiſſis, sed in præstantioris hominis usus gignunt. Et ti  
 bicines in bello classicũ personāt belli, nō tamē sibiſſis,  
 cum in conflictum nō intrent: sed militaribus turmis præ  
 lium inituris id canūt. Sic & afflati deo propheta non  
 ob seipsos labia adaperuerunt: sed propter nos uentura  
 dei promissa cecinerūt. Petrus in epistola prima clarum 1. Pet. 1  
 eius rei testimoniũ affert, Ait enim: credētes exultabitis  
 letitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finē fidei  
 uestre, salutē animarũ uestrarum: de qua salute exquise  
 runt atq; scrutati sunt propheta, qui de futura in uobis  
 gratia prophetauerūt, scrutantes in quod uel quale tem=  
 pus significaret in eis spiritus CHRISTI, prænūciās  
 eas, quæ in Christo sunt pāsiones, & posteriores glo=  
 rias, quibus reuelatũ est, quia nō sibiſſis, uobis aut  
 ministrabāt ea. Annūciauerūt ergo propheta ueturũ dei  
 uerbũ nō sibiſſis, sed ueturæ generationi: dignũ sacræ  
 sue tubæ famulatũ exhibuerūt. Prædixerūt enim eũ quē  
 nō uiderūt, de quibus etiā dominus ad incredulos dixit:  
 Multi propheta et sancti cupierūt uidere quæ uos uide Matth. 13  
 tis, & nō uiderūt. Quāquā & de Abraā, ipse nihilomi  
 nus (qd' priori forte dicto obesse uidetur) id de seipso lo  
 cutus est: Abraā exultauit ut uideret diē meũ, uidit et ga Ioan. 8  
 uisus est. Abraā ueteris testamēti pater, multis ante pro=  
 phetarum gregem annis uixit in terris, Quomodo ergo  
 is uidit diem & natiuitatem uerbi quam non uiderunt  
 propheta? Atqui si singula rite pēsantur, nihil id ambi=  
 guitatis habet. Nā quo utiq; modo, quo aspectu, et qua  
 acie

acie uidit Abraam eam diem, uiderunt & propheta ean-  
dem. Nō sanē oculo corporis, non præsētia corporali:  
sed in magna exultatione, & eleuatione animi, in raptu  
itē & præcelsa uisione interioris oculi. Cū enim audis,  
exultauit Abraam ut uideret diem meum: intellige ibi ab  
exultatione & hilaritate secundum deum innui quendā  
raptum, & ignotam eleuationem animi, atque extasim  
quandam, in quam excedens ab humanis finibus is cuius  
spiritus sacro excessu suo absorptus est in deum (apud  
quem mille anni sunt tanquam dies hesternæ quæ præ-  
terijt) uidit & incarnandi in posterū uerbi tempus, nec-  
non & passionis eius diem. Non uelut longe absentem,  
sed ut cominus, eque uicino instatē, & ab interioris oculi  
acie uelut præsētem & adiacentem illam alta ē specula  
in spexit. Nam si terram iuxta intuitū cœli esse pūctum  
Astrologi uolunt, & uniuersam molem illius cœli com-  
paratione, sic etiam absorberi definiunt, ut hæc sit penē  
nihil: Cur minus & apud eternitatem dei prorsus im-  
mensam, uniuersa temporum decursio redibit in instans  
tēporis, et penē in nihilum? Oculi Abraæ & patriarcha-  
rum longe sublimiores tempore erant, cum ea in spiri-  
tu ut proxima & uicina inspexerūt, quæ in lōgos dies,  
uentura ipsi prænunciabant. Vt non fuerit ideo impingē-  
dum his (quippe haud alia quā uera & futura prænu-  
ciantibus) id quod Hebræi irridentes de Ezechiele dice-  
bant: Visio quam hic uidet, in dies multos, & in tempo-  
ra longa iste prophetat. Nam diēs multi & tēpora lon-  
ga cum apud deum, tum apud eum etiam spiritum, quo  
in sacra eleuatione sua absorbebantur propheta in deū,  
sunt

Terra pun-  
ctum.

Ezech. 12

sunt uelut dies unus. Imò sanè minus quàm unius moru-  
la diei. Quemadmodum & orbis terrarum, licet & in  
seipso, & ad aspectum nostri oculi amplissime molis sit:  
in libra tamen & comparatione cœlestis amplitudinis,  
prorsus est expers molis & magnitudinis, soli equidem  
puncto & minimo cuidam par. Quod & rursum docet  
propheticum istud eloquium: Putas deus de longe ego  
sum, & nō deus de prope? Distantia apud deū est prorsus Hier. 23  
rerū nulla. Nec semotio loci aut temporis ante ocu-  
los tantæ maiestatis affert quicquam differētiæ. Quam-  
obrem id quidem quod deus annunciat in longos uentu-  
rum dies, sic iuxta intuitum illius est, tanquam nō modo  
propediem futurum sit, imò uero, uelut iam etiam im-  
plendum, & præsentissimum. Quod autem hic canitur:  
Qui annunciat uerbū suum Iacob, id est filijs Iacob, &  
semīni præelecto, in uenturas benedictiones à deo sequēs  
eiusdē uersus particula resumit, quæ eundem prorsus sen-  
sum & intelligentiā habet: de qua mox ideo dicemus.

### Iustitias, & iudicia sua Israel.

Resumendum est istic uerbum superioris particulae,  
ut sit sensus: Qui annunciat iustitias & iudicia sua  
Israēl. Hæc enim pars iuxta psalmorū & diuinorū elo-  
quiorum cōsuetudinem coincidit priori, estq; resumptio  
quedam prioris sententiæ: sub sola dictionum & coinci-  
dentium uerborum immutatione. Id equidem consuetu-  
dinis in totis ubiq; psalmis, in canticis, & in propheta-  
rum eloquijs iuxta suum numerum obseruari solet: ut in  
dictorum cōfirmationem, & cum in numeri distinctio-

e

nem,

nem, tum in sententiæ & uerborum pulchritudinē secundo recantentur ea quæ semel ore insonuere. Nec differentia sit alia ulla secundæ sententiæ à priore, quàm uerborū prorsus significatione pariū & coincidentiū. Superflūū qdē arbitramur immorari in exēplis istiusmodi rei, quia immēsa hæc, & lōge supra omnē numerū sunt. Linquēda est cōsideratio eorū arbitrio & diligētia singulorū. Paucula tamē eius exempla obiter referemus. In primo canitur psalmo: Ideo nō resurgunt impij in iudicio, neq; peccatores in cōsilio iustorū. Ibi secunda pars par est primæ. Nā peccatores, impij sunt, & iudicium quid aliud quàm sessio coetus ue seu cōgregatio & cōsiliū iustorū? In secūdo psalmo cuncti penē uersus hanc geminarū suarum partiū perpulchrā coincidentia obseruant. Nil etiā dissimilitudinis habēt ambæ partes huius uersus, Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripas me. Sunt enim furor & ira idem. Arguere quoq; & corripere unum & idem prorsus sunt. Rursum istic responsus & coincidentia partiū clara occurrit: Misere mei domine, quoniā infirmus sum: sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Nā misericordia dei, sanitas nostra est. Et infirmitas quid oro aliud quā conturbatio ossium? Similiter & hic nectitur euidentis similitudo partium: Exaudiuit dominus deprecationem meam: dominus orationem meam suscepit. In parte enim priore dominus deprecationem exaudit. In secunda idem dominus orationem suscepit. Vide quid refert in utrisq; & quantum oratio à deprecatione & susceptio ab exauditione distet: prorsus nihil. In psalmo decimo

Psal. 6

decimooctauo: Cœli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamentū. Ibi paritas lucet & coincidentia ambarum partiū. In sequenti autem uersu: Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam: quanquā non illico luceat partium coincidentia, fit tamen ibi manifesta sententiæ in contrarijs paritas & similitudo. Nam quamuis sit contraria diei nox, idē tamen & par est dicere, dies diei eructat uerbum: Quod, & nox nocti indicat scientiam. Nam nox ut dies est, uerbum, scientia. Eructare, indicare quoddam. Deinde cum subiungitur: In omnem terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ uerba eorum. Ibi aperta & manifesta accidit partiū similitudo. In cunctis deniq; psalms lex eadem & consuetudo manet, quam lectoris solertia ita se habere offendet. In canticis quoq; eandem partiū experire paritatem. In cantico Moysi: Audite cœli quæ loquor: audiat terra uerba oris mei: Ibi lucida partiū similitudo in oppositis corporibus mūdi obseruatur: id est in cœlis, & in terra: Audite inquit cœli quæ loquor: deinde, audiat terra uerba oris mei. Nam uerba oris mei sunt ea quæ loquor. Sed diuersa ibi & opposita citatur corpora, prius quidē cœli, deinde terra. Deinde cū dicit, cōcrescat ut pluuia doctrina mea: Fluat ut ros eloquiū meū: Paritas ibi est inter pluuiā & rorē, inter doctrinam & eloquiū. Exigua autē differentia inter cōcrescat & fluat. Et rursus cum dicit: Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina: ibi similitudo est inter herbam & gramina, inter imbrē & stillas.

In cantico Mariæ uirginis cū dicit, Fecit potētia in

e 2 brachio

Deut. 32

Luce 1



brachio suo, diffuset superbos mente cordis sui: obseruatio similitudinis ibi est, ob unam partiū quæ causa est aperta alterius: fecit enim deus potentiā in brachio suo, ut in uirtute & potestate sua dispergeret cōgregatiōnem superbiorum, & confringeret hominū in seculo potentium uires. Deinde cum addit: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Similitudo ibi est contrariōrum: nam deponere potentes, est exaltare humiles. Par quoq; similitudo contrariorum in sequenti uersu occurrit: Esurientes inquit, impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Sensus enim istius est, euacuare plena, & implere uacua, quæ cuiusdam oppositæ identitatis regulam & limam habent. Rursum in canticis, in libris sapientiæ, in prouerbijis, & in cunctis prophetis sæpenumero, & quā creberrime fit istiusmodi similitudinis resumptio: quæ quia longum nimis esset allatis huc exemplis eam ostendere & docere, committenda est probitati ac diligentiae lectorum potius quàm denarrationi & congeriei exemplorū. Vnde fit, ut numerus cuiuslibet uersiculi psalmorum compleatur & in triade, & in hexade ad triadem duplicata. In triade quidē, quia quelibet cuiuslibet uersiculi pars duo nomina unico iungit uerbo. In hexade uero, quæ secūda pars cuiuslibet uersus par est in numero, & proportionabilis clausulæ priori. Quāobrem ob similitudinis paritatē supputare licet in quolibet uersu & summā hexadis, & tamen typū triadis solius: quod fit ab agglutinatione duorū tantū nominū & uerbi unius. Nā duo nomina partis unius, duobus nominibus partis alterius, & uerbū uerbo paria sunt prorsus & consi

& cōsimilia. Ex his igitur redeamus ad præsentis no=  
 stri uersiculi partē secundam, quam nunc discutiendam  
 suscepimus, quæ est, iustitias & iudicia sua Israël. Hoc  
 enim & sensu, & significantia, & numero, ac similitu=  
 dine uocum par est priori particule, isti scilicet, Qui  
 annunciat uerbum suum Iacob. Resumendum est enim  
 uerbum annunciat. Nomina autem duo iustitias & iu=  
 dicia, respondent nomini uerbi. Nomen uero Israël, ad  
 nomen Iacob sua identitate alludit. In Esaia consimile  
 quiddam legimus, Audite inquit, me domus Iacob, &  
 omne residuum domus Israël: Qui portamini à meo  
 utero, qui gestamini à mea uulua: Vsque ad senectam  
 ego ipse, & usque ad canos ego portabo. In his quidem  
 propheticis eloquijs permagna est sui numeri obserua=  
 tio, & euidens secundæ partis cum priore similitudo.  
 Cum canitur autem à psalmo: In exitu Israël de Aegy=  
 pto, domus Iacob de populo barbaro: præmittitur ibi  
 in partium similitudine uerso ordine nomen Israël ante  
 nomen Iacob, cū tamen nomen Iacob, sit tempore prius  
 nomene Israël. Illud enim natalicium est, & datum  
 eidem à supplantatione fratris. Quia quasi sub planta  
 uterini fratris natus, fratris sui Esau plantam manu in  
 natiuitate tenebat, ut nulla penè fuerit disiunctio na=  
 tiuitatis amborum fratrum: à quibus duo populi in po=  
 sterum emanaturi erant. Et postea cum fratris sui pri=  
 mogenita solo pulte emerit, & exinde illius benedictio=  
 nem materno astu subripuerit, etiam in uita fratrem  
 supplantauit, ut qui è nouissimo in primū profecit. No=  
 men autem Israël non à natiuitate ipsi inhaesit, sed à  
 e 3      lucta

Esaie 46

Psal. 113

IACOB.  
Gene. 25ISRAEL  
Gene. 32

lucta & insita fortitudine (qua cū angelo tota nocte ad matutinā usq; aurorā congregari ausus est) angelica uoce illud accepit. Percōtante enim post finem lucte angelo ab eo: Quod, inquit, est nomen tibi? Respōdit, Iacob. At angelus ad eū, Nequaquā, inq̃t, Iacob appellabitur nomen tuū, sed Isrāel. Quoniā si cōtra deū fortis fuisti, quāto magis cōtra homines praeualebis? dictus est ergo Iacob à natiuitate, uelut fratris supplantator. Appellatus est autem Isrāel, tanquam fortis, & luctator cū deo. Quamquā & alij uelint dictum eū Isrāelem, tanquam uidentem deū. Cum & nomen Isrāel inter Hebræos sit etiam uidens deum. Nā & Iacob paulò post initam cū angelo luctam appellauit nomen loci illius Phanuel, dicens, uidi dominū facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Potior tamen & prior significantia nominis Isrāel à fortitudine & lucta, quā à uisione dei manauit. Quamquā sit longe praestantius & sublimius quiddam uidere deum, quā luctari cum deo. Et mirum istud uidetur: Quoniam id quidem quod prius uoluntate gestum est dei in persona Iacob, ut & supplantator fratris esset & colluctator angeli, postea in Osee propheta impropereatur à deo illi his uerbis: Iudicium ergo domini cum Iuda, & uisitatio super Iacob: iuxta uias eius, & iuxta adinuationes eius reddet ei. In utero supplantauit fratrem suum: & in fortitudine sua directus est cum angelo. Et inualuit ad angelū, & cōfortatus est. Atqui calumnia ista dei nō ad sancti patriarchae attinet personam, sed ad posteritatis & filiorum ipsius peccata, quae sub patris nomine dantur ipsis in probrū. Nam de sanctitudine

Osce 12

Etitudine Iacob subiungit mox idē propheta: Fleuit, & rogauit eum: in Bethel inuenit eū: & ibi locutus est nobiscum. Et dominus deus exercituum memoriale eius. De filiorū autem post peccata cōuersione mox addit: Et tu ad dominum deū tuum conuerteris: Misericordiam & iudicium custodi, & spera in deo tuo semper.

## Non fecit taliter omni nationi.

Posteaquā sanctus psaltes expressit magnalia dei quæ cōtulit populo suo, & propter quæ sit ab uniuerſi sui populi ore dignis celebrandus laudibus, & gratiarū actionibus deus: tandem per hæc insignia dei beneficia prorumpit in distinctionē Israëliticæ gentis, quam hisce dei donis eximit ab omni cætera natione quæ sub cœlo est. Non fecit inquā, ait taliter omni nationi. Id est, non applicuit & selegit exterā ullā nationē sibi in peculiū: Nō dedit ei pactū circūcisionis in sua carne: Nō affuit illi comes & protector in peregrinatione & mansione Aegypti: Nō exaudiuit eam clamantē à facie afflictionis ad seipsam: Nec liberauit eā de iugo Pharaonis, & oppressione ac dura seruitute Aegyptiorū: Nō eduxit eā p̄ siccatū maris alucū, suffocatis in mari Aegyptijs, in deserto: Nō etiā aliā ullā nationē orbis nutriuit & aluit quadraginta annis in deserto pane cœlesti: Nō in colūna ignis & nubis securū inter hostes ducatū alij præstitit genti ulli, sicut fecit huic: Nō in flammatis montis caligine allocutus est uoce audibili & terrifica nationem aliam: Nec legem, cerimonias, & iudicia dedit alij nationi, sicut dedit populo suo p̄ manus Moyſi & Aaron.

Id ergo est quod audimus Deuteronomij quarto, Hæc est enim sapientia uestra & intellectus coram populis, ut audientes uniuersi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantibus sibi, sicut deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Hæc singularia & antiqua dei beneficia, cum residuis, quæ breuitatis causa filemus, & quæ populo suo largitus est deus: nimirum populum ipsum exemerunt à similitudine gentium. Et inter cunctarum orbis nationum fines insignem eam gentem & memoratu dignam reddiderunt. Et de huius quidem gentis singularitate, & eius à cæteris populis semotione uaticinia Balaam menânerunt. Cum primum, pro maledictione (cuius gratia uocatus uenerat ad Balac Moabitarum regem) iuxta beneplacitum dei referens uesanus & insipiens propheta benedictionem; aperto ore dixit: Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. Non est idolum in Iacob, nec uidetur simulachrum in Israël: Dominus deus eius cum eo est, & clangor uictoriæ regis in illo. Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rhinocerotis. Non est augurium in Iacob, nec diuinitio in Israël. Et rursum in alia benedictione sua in hæc uerba de eiusdem gentis futura felicitate prorumpit: Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël. Vt ualles nemorosæ, ut horti iuxta fluuios irrigui. Vt tabernacula quæ fixit dominus quasi cedri prope aquas. Fluet aqua de fistula eius, & semen illius erit in aquas multas. Et paulò

Nume. 22

paulò post: Accubans dormiuit ut leo, & quasi le-  
 æna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit  
 tibi, erit & ipse benedictus. Et qui maledixerit tibi, in  
 maledictione reputabitur. Et rursum in postrema benedi-  
 ctione sua de natiuitate CHRISTI regis regum &  
 domini dominantium è tribubus Israël: Orietur, inquit,  
 stella ex Iacob, & consurget uirga de Israël. Et percu-  
 tiet omnes filios Seth. Et erit Idumea possessio eius. He-  
 reditas Seir cedet inimicis suis. Israël uero fortiter aget.  
 De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciui-  
 tatis. Hæc quidem omnia quæ spiritus dei per os Balaã,  
 quanquam uesani & insipientis propheta, effari uoluit:  
 uertens dilecti populi mercenariam (id est emptam mer-  
 cede) maledictionem in benedictione: dignas Israëliticæ  
 gentis proprietates innuerunt: quibus deus dissimilem il-  
 lam & excelsiorem, quippe sibi propiorem, cunctis or-  
 bis nationibus effecit. Et ab earum cõturbarnijs, ut si-  
 bi famulaturam soli, & sui unius cultui deuouendam iu-  
 re summouit. Non fecit igitur deus taliter omni natio-  
 ni, ut fecit ei populo, qui solus habitaturus erat in umbi-  
 culo terræ. Et qui inter gentes simulachra colentes, ob-  
 seruatrices auguriorum, & in uijs demonum ambulan-  
 tes non reputandus erat. Iure enim summouendum  
 erat dignisq; proprietatibus & signis sequestrandum  
 à cunctis nationibus terræ id semen, è quo prodire in-  
 nouissimis diebus debuit is, in quo renasciturum erat  
 uniuersum genus hominum. Et eum ab inherente à pa-  
 tribus labe expiandum, tum ab inniti demonum pote-  
 state liberandum.

e s Et

## Et iudicia sua non manifestauit eis.

Præcedens particula negatrix fuit, discrimen quidem faciens inter gentes & Israëliticū populum, ut à deo electū, ita & summotū signis cōpluribus à ceteris nationibus orbis. Præsens uero, etiā negatricem uim habet, & præcedēti in negatione par est, sed tamē refert et promit causam illius, tanquā sit respondendū percontanti: Cur inquā non fecit deus taliter omni nationi? Quia iudicia sua, idest sacramenta, & mysteria uenturæ hominum salutis non manifestauit eis, Nec operatus est in eis signa & magnalia sua, quæ fecit in populo suo Israël. Quod autem non fecerit deus taliter omni nationi sicut fecit Israël, id quidem intelligendum est in priscis tantū diebus, & in ætate sanctorum patrum. Et demum solam iuxta ueteris testamenti substantiam. Nam ueteris testamenti umbra in signo circumcisionis, in obseruatione legis, in uacatione & carentia simulachrorum, & quod potissimum omnium est, in cultu ueri uniusq; solius dei, hærentem deo Israëliticæ gentis plebem à ceteris orbis nationibus distinxit. In nouissimis autem diebus, quæ post CHRISTI natiuitatem illuxerunt, quæ in sacro regenerationis lauacro ueteris testamenti maceriem diruperunt, eiusq; labores abstulerunt, & noui fidem testamenti effuderunt, fecit taliter deus, imò longe etiam melius, omni quæ sub cœlo est nationi, quàm fecerat prius Israël. Inseruit enim deus in sanctam & procerā Abræ oliuam etiam filios alienigenarum, deditq; illis gratiam ut melius fierent Abræ filij per regenerationem, quàm olim

olim in naturali semine fiebant per circumcisionem. Abstulit deus obicem & uallum, quo uelut circūseptus, & clausus, latebat in solo populo Hebræorum. Eoq; obice dirupto libere profectus est in omnes gētes: ut qui prius dederat uni tantum genti fidei gratiam, & uenturæ salutis spem, futurorumq; bonorum promissionem: is ea deinceps bona omni etiā nationi quæ sub ambitu cœli est, benignissime impartiendo, diuersitatem nationum tolleretur, & è duplici ouili unum tandem ouile conficeret. Dyadem populorum respuit deus, & amator ipse monadus, uertit illam in monadem. Dyas quidem uiguit in mūdo quādiu differentia stetit Israël & Gentium. Quādiu hæc sub idolorum nube uixerunt: & Israël sub ueri dei luce stetit, et unius dei cultor fuit. Sublata est dyas à monadæ, cum deus dirupta Hebræorum maceriæ, & discussis exorta noua luce gentium nubibus ac tenebris, in omni terra tubis & clasicis apostolorū audiri & agnoscisci uoluit, & cunctis se agnoscendū, audiendum, uisendū ac palpandum præbuit. Mysterium ingens habet hæc catena & scala humanarum cognitionū, qua deus sublimitatem linguens suam, quanquam à seipso, nusquam excedens, sensim ad nostra humilia descendit. Et à suprema ac nobilissima cognitione hominum, uti ab arce intelligentiæ per mediarum interualla cognitionum, uti per auditum & uisum, in humillimum usq; attactum dei ierre semetipsum nō renuit. Id quidē faciens cū nostri gratia, tum suæ amplioris et certioris cognitionis causa. Intelligentiæ arx potior est et sublimior auditu: auditus nobilior uisu: uisus attactu præstātor: et tñ humano de more  
quan



quanto ignobilior est alicuius sensus us, tanto utique  
 & illius cognitio certior est, ut & propior nostræ no=  
 scendi consuetudini. Melior est ex prouerbio, oculatus  
 testis aurito. Et rursum, certior ac melior is qui rem pal=  
 pauit tetigitq; eo qui duntaxat eam oculis lustrauit.  
 Quamobrem deus, qui prius in silentio manens suo, ho=  
 minum genus latuit, cum uoluit tandem ab hominibus  
 agnosci, per eiusmodi quam struximus humanarum co=  
 gnitionum scalam sensim descendit, ut & manens in se,  
 & labens ab arce sua, proximus tandem nobis & pal=  
 pabilis fieret. Inspectemus ergo deum ab seipso, per gra=  
 dus humanæ scalæ ad nos usq; sese benigne deijcientem.  
 In intelligentia enim angelorū sola, uelut in summo no=  
 stræ scalæ gradu resedit prius, antequā rudibus & cras=  
 sis adhuc hominibus, ullo sensu innotuisset. Subinde pri=  
 ma suæ noticiæ & apparitionis humano generi primor=  
 dia in Abraam fidei parente iecit: Cum per auditū ap=  
 parens illi, & manifesta uoce dona futuræ filiorum be=  
 nedictionis repromittens, audibilis effectus est. Et affa=  
 tu suo tanquam in auditu illius sedit. Idem uero deus in  
 Moyse, uelut iam gradu decluior uno, nobisq; propior  
 per uisum sub flammā ignis innotuit. Qui postremo per  
 CHRISTVM tactui nostro proximus effectus est,  
 & palpabilis euasit. Nam per eum in carne habitans no=  
 stra, sese et intelligibile præbuit et audibile, & uisibile et  
 manibus palpabile. Hac enim clemēti scala ad nostra hu=  
 milia descendens, nostræ humanitati non accidentarie,  
 sed in unitate substantialis personæ se coniunxit. Ergo  
 origo diuinæ apparitionis & noticiæ cepta est in intel=  
 ligen

gentia, profecta est per auditum, & uisum, penetravitq;  
tandem usque in tactum. In quo cum summam diuinita-  
tis certitudinem acceperit humilitas nostræ infirmitatis,  
ibi & diuinæ ad nos descensionis limitem, & nostræ ui-  
ceuerfa in deum scansionis terminum fixit.

SCALA DIVINAE INCLIN-  
ATIONIS.

D E V S	
Intelligibilis	Angelis.
Audibilis	Ab æ.
Visibilis	Moyfi.
Palpabilis	Christo.

Discipuli domini apparente eo post resurrectionem  
suam ipsis, uiderant in manibus ipsius fixuras clauo-  
rum, & in latere eius scissuram lanceæ. Quibus tamen  
reme

rem gestam narratibus, & facile credentibus, Thomas, qui unus ei apparitioni defucrat, tanquam somnia narrantibus, tanquā phantasmate per usum hallucinatis credere primū recusauit, et in incredulitate perstitit: quoad interim præsente eo apparens discipulis dominus non modo palandas ei præbuit manus & latus: sed & ut digitem in fixuras clauorum, & manum in hiulcum lateris uulnus immitteret suasisit ac permisit. Nolens quidē incredulum ad id temporis discipulum à cæterorum fide & similitudine disjungi: sed malens eundem parē, & conformem alijs fieri, & piæ ac fideli cæterorū turme, testimonium de sua resurrectione in mundo latuæ, unū etiam illum annumerari. Deus igitur in initio & in medio noui testamenti non fecit taliter omni nationi sicut fecit Israël: A nulla enim natione exauditus, à nulla gente uisus est deus, præterquam à populo & natione Hebræorum. Ast in fine ueteris testamenti, auctum est largissimum fœnus diuinæ benedictionis, cum pars in totum uersa est, et cum ab unius angustia gentis in omnem mundi oram ac plagam diffusa stagnauit dei gratia. Nam quid accessit nouitatis in mundo per incarnationē uerbi, per liquefactionem prophetorum frigorum, pluuiæ, grandinis, & niuis: id est, per solutionem eloquiorum dei, & etiam per afflatum spiritus sui, per denique decursionem aquarum in uniuersum orbem terrarum: nisi quod innotuerit cunctis gentibus deus, & filios alienigenarum in suam adaptauerit oliuam? Nonne his tandem miraculis fecit taliter & similiter omni nationi deus, sicut fecerat Israëliticæ genti? Cum sublata prisca diade

dyade ac distinctione populorum, unum ouile è cunctis mundi ouibus adunarit, & unicum illis præfecerit pastorem. Voluit enim eo pacto omnia deus à seipso progressa suæ tandem reminisci originis. Vt sicut ab uno pependit origo omnium, ita & in uno figeretur stabilis palus & meta uniuersorum.

## LIBRI EXODIVM.

Peruenimus iã ad metã stadij istius nostri, in quo quidẽ ocysimo gressu cucurrimus. Deligētes præ ceteris ludo et otio isti nostro sanctissimũ hũc psalmũ, ut iubilo diuina laudis plenum, ita & alta mysteriorũ fœcunditate prægravidum. A longe nos illexit prægnans & exuberans latex illius: Et ubi oculos mentis admouimus propius illi, largiorem quàm sperabamus fœcunda illius uena prompsit effuditq; nobis sui nectaris copiam. Quam ne negaremus ulli pie ad diuina anhelanti, & hiantem sitientemq; palatum cominus offerenti, nec labori pepercimus nostro, nec tepuimus à calamo. Immo planè hæc facientes, munus egimus ipsi, quàm pro sua dignitate expostulet abdita sub cortice uerbi tantorum mysteriorũ plenitudo, quæ substantiã utriusq; testamēti nobis patefecit: quæ præcurrētia prophetarũ eloquia, meliorũ prænuncia rerum, à substantiali dei uerbo, tanquã frigus à calore, uelut noctem à die, & sicut demum leue accidens à solidiore substantia distinxit. Et exinde nobis  
pri

primum quidem ipsius diuini uerbi incarnationem, dein spiritus sancti missionē, postremò apostolorum in omnē terram diuinæ propagandæ doctrinæ gratia sub similitudine solutarum & fluentium aquarum dispersionem mystice referauit. Vbi igitur rursum & pro uirili nostra adaperuerimus modū, quo leuiscerandus sit iubilatorius hic psalmus, & introspectendus ad amūsim, quid uē theorie intra habeat uiscera, quidnam etiam medulle sub duris uerborum ossibus tegat, pedem istinc reuocabimus, & anchoram ex hac, in qua aliquandiu lusimus arena, mox soluemus, Valeq; probis lectoribus dicemus.

FINIS.

IOANNES CLERICVS, ABBAS  
tisuille Decanus, Carolo Bouillo S.



ERNIS hoc mense iucundissimis literis tuis solatus es me amantiſſime mi Bouille: auxitq; deinceps concepti solaminis modū opusculum tuum, quod cum postremis literis tuis accepi, titulo de Arca peccati scriptum, te amanuēſi perlegeram. Iam opusculum aliud tuū, de laude Hierusalem, tua etiam scriptum manu: quo (cum nuper Nouioduno abscessurus, tibi uale dicerem) donatus abs te fui. In hoc, præclare laudis opere (ut quid sentiam indicem) non modo cetera opera tua, sed te planè ipsum uideris excellere. Et plura quidē dicturus, modo ad id rei pertinentia, eram. Sed ne iudicer mollibus (quod aiunt) te scabere unguibus, premam nunc labia. Vtinā tamen atq; uti

utinam hanc laudatissimam foeturam tuam nūc nunc & promas ē scrinio, & subinde cōmissam praelo, sinas in manus prodire hominum. Opto quinetiam, atq; suadeo, oroq; (si quid ualēt saltem precula mea apud te) ut ab ipso psalmorum exordio grandiusculum confles opus: quo sodinam latentium in eis mysteriorum te ingredi, cuniculosq; altius rimari nō pigeat. Et inde producere in lucē quicquid preciosum, & scitu offenderis dignissimum. Non dubium est, rem quidem tam multis gratā, quā utilem, hac tua laudatissima lucubratione facturus. Age igitur, aperi scaturigines uenarum, inexhaustibilis cordis tui. Adhibe aratro manus, uolue ligonem, ut dominicum sulces agellum. Calca uuas in torculari domini, ut & Cerere & Baccho lucri, tuo sudore factis, multorum esurientium & sitientium, non Venus sordida, & libidine exaestuans, sed castimonie parens, & nunc frigens Minerva incalescat. Vale, Ambianis. Quarto Idus Martij. 1531

CAROLVS BOVILLVS

Ioanni Clerico Abbatifuille

Decano, S.



B OCCASIONE epistolae tuae, quā nuper accepi, desideratissime mihi uir, in qua quidē plaudens alludis ad recens opusculum meum, de Laude Hierusalem: statui hic in fine instar eorum agere, qui ad uiae suae laborisq; metam peruenerunt. Hi quidem uelut aliō mox ituri,  
f            sparsas

Anacephaleo-  
sis opusculi de  
laude Hierusa-  
lem.

sparsas colligunt sarcinulas, & humeris imponunt. Sic ab istius exitu operis diuerticulum subinde aliò facturus, resumere cursim & recolligere uolui ea, quæ in eius totius operis margine sparsim & discollecte primo mentis impetu profudi. Quia delegi igitur cum primis mihi triumphalem, iubilatorium uel psalmum præ cæteris discutiendum, Lauda Hierusalem dominum: distinxì in prima illius clausula hæc tria, Munus, Locum, Personam. Munus quidem est sacræ laudis præconium, quod offertur deo. Locus laudis, Vrbs Hierusalem, selecta una à deo, præ cunctis urbibus Israëlitiçi populi, in exultatoriam sui nominis laudem. Persona uero deus est, cui ab hominibus, præcipue à sacerdotalibus turmis, sacrum plusquam emeritæ laudis incensum, flagrantis igne cordis adoletur. Diximus & ibi, quidnam sit differentię faciendum inter nomina hæc duo, Dominus, & Deus. In clausula uero secunda: lauda deum tuum Sion, docuimus quatuor esse, summi dei erga nos appellationes: scilicet Dei, Domini, Patris, & Magistri: quas inhibuit in euangelio deus ab hominibus usurpari & præsumi, Cum dixit: Patrem nolite uobis uocare super terram: unus est enim pater uester in cœlis. Et ne uocemini Magistri: unus est enim magister uester Christus. Et rursum: Vos uocatis me magister & domine, & bene dicitis, Sum etenim. Quod si hæcenus iura inferiorum appellationum ab hominibus deus ademit: quanto magis superiorum nominum, Dei scilicet & Domini titulos nulli mortalium hominũ adscribi permisit: ut qui in ueteri testamento ad popu-  
lum

Mat. 23

tum suū loquens, sæpenumero hæc dixisse refertur: Ego  
 Deus uester: & rursum: Ego Dominus. Hæc ergo qua=  
 tuor nomina soli deo iure erga nos adscribenda reci=  
 procis appellationibus iubent, postulantq; : ut nos ipsi  
 erga deū censeamur uersa uice nunc creaturæ, nunc ser=  
 ui, nunc filij, nunc discipuli: Apposuiusq; ibi uisibilem  
 eius rei figuram. In tertia clausula diximus denar=  
 rari primam & inferiorem diuinæ laudis causam, à con=  
 fortatione portarum, serarum, murorum: & à consoli=  
 datione eorum quæ ad ciuium robur attinent corpo=  
 ris, & sanctæ urbis. In quarta, benedixit filiis tuis in  
 te, intelligenda est innui interior benedictio electorum  
 dei, in omni necessariorum bonorū abundantia: ut sicut  
 prior clausula corpori sanctæ urbis prospexit, ita &  
 ista provideat secretioribus bonis animarum, id est spi=  
 ritualibus emolumentis habitatorum illius. Nam corpus  
 quidem urbis pendi debet ab ambitu, & circumferentia  
 murorum illius. Anima uero urbis pendenda à numero  
 ciuium, & habitatorum eius. In clausulis quinta &  
 sexta, par sit proportio ad tertiā & quartā: Et consi=  
 milis distinctio corporis & animæ totius urbis electæ.  
 Nā cū dixit sanctus psaltes, qui posuit fines tuos pacē:  
 exteriora prospexit oculus eius, id est summotionē, &  
 uacationē hostiū: in qua planē cōsistit optabile corpo=  
 reæ pacis & securitatis bonū. Cum uero subiungit, &  
 adipe frumēti satiat te: reuoluitur mox eius oculus ad in=  
 teriora, & meliora bona: uelut ad fruitionē adeptæ iam  
 pacis, consistentem in abundantia bonorū omnium: quæ  
 mystice per adipem frumēti innuuntur: quemadmodum

Corpus ur  
 bis quid,  
 & qd ani=  
 ma.

Adeps fru=  
 mēti mysti=  
 ce quid.

f 2

& in



**Panis.** & in totis sacris eloquijs, quid quæso per panem, nisi omnia mensæ fercula intelligere iubemur? Porro in quarto toto uersu: Qui emittit eloquium suum terre, uelociter currit sermo eius: In quinto item: Qui dat niuem, sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. Et rursum in sexto: Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius, quis sustinebit? Vnico mysterio totius comprehenditur ueteris substantia testamenti, quæ sacra prophetarum oracula & eloquia, ante ortum solis iustitiæ inintellecta, & uelut à gelu, frigoreq; constricta, in terras, more imbris, niuis, & grandinis effudit. In prima autem clausula uersiculi septimi: emittet uerbum suum, & liquefaciet ea: permagna iam promittitur declaratio latentium hæctenus mysteriorum. Decet enim, ut quæcunq; aquarum substantiæ à nocturni frigoris gelu concreuerunt, hæc exortu tandem diei calore & æstu solis liquefiant. Distinximus ibi eloquium à uerbo, tanquam frigus à calore: uelut item noctem à die: ut etiam numerum à monade: & ut demum multitudinem prophetarum ab unitate diuinæ sapientiæ. Antecessit sub prisca nube seruilis prophetarum numerus. Vnitas autem uerbi, disparente obscura mundi nube, in nouissimis diebus, nata in terris è uirgine, densa prophetarum frigora resoluit: id est eorum anigmata, & ardua sensa sui caloris æstu liquefecit: & oclusam eorum intelligentiam ignorantibus peruiam fecit. Solet in diuinis scripturis sæpenumero uox & sermo per aquas innui. Quamobrem per materiam gignendis aquis aptam, uti per nebulam, per niuem, per crystallum, seu grandinem,

præcur

Aquæ, in diuinis literis quid significant.

*præcurrentia prophetarum oracula mystice signantur: quæ tamen cū solida sint, & à frigore in sublimi æthere concreta, haudquaquam in aquas, nocte, ante ortum solis iustitiæ, solui, & liquefieri potuere. Vbi autē orta die, & apparente sole iustitiæ, prophetica oracula aquas peperere: subiungitur mox, flabit spiritus eius & fluent aquæ. Is enim spiritus, qui ab initio, in conditione mundi, ferebatur super aquas: is idem, in nouissimis diebus, rursus flauit super aquas apostolorum, ut deriuaret collectum stagnum earum in latices, in riuulos, & in flumina, quæ per uniuersum decurrentia mundum, gignerent in toto orbe sacræ inundationis & regenerationis diluuium. Hic spiritus in initio mundi cōgregauit, cōegitq; sparsas prius orbis aquas in locum unum, ut appareret arida. In fine autem mundi hic rursus diuersa operatione potitus, congestas in locum unum apostolorum undas, dispersit per mundum, eorumq; stagnum perruptis ripis sitiēti terræ superfundit: ut iam non appareret arida. Verum ut omnis terræ superficies eorū irriguis laticibus obruta, & liquido humoris lauacro deterfa, priscarum sordium exueret illuuiem. In octauo uersu post enodationem latentium mysteriorum, reuolutio sermonis fit ad electam dei plebem: sub nominibus Iacob & Israël: Fitq; etiam ibi, ut in cunctis ferè fieri psalmis, necnon & in prophetis & canticis solet, coincidentia clausularum, sub certa obseruatione numerorum, quos transgredi non consueuit metrum mensuræ uel diuinæ eloquentiæ. In ultimo uersu, ut edoceat Israëliticam plebem, maximopere unam, esse*

*f 3      equi*

equidem obnoxiam, & debitorum diuinarum laudum,  
 eximit eam magnitudine & multitudine diuinorum be-  
 neficiorum ab omni natione, & gente quæ sub cœlo est.  
 Cum nulli alij populo seipsum manifestarit deus, sicut  
 fecit Israël, cuius electo semini sic manifestari uoluit, ut  
 conficiens trium graduum scalam, primum quidem illi  
 per auditum innotesceret: Exinde ei per uisum appa-  
 reret: Postremo per attactum in unitate eiusdem perso-  
 næ humillime eidem iungeretur. Haftenus igitur hic  
 perfeceri id, quod prædixi: ut instar uiatorum, è loco  
 quidē uno in alium migrare uolentium, sarcinulas col-  
 ligerem. Id est ut cursim & obiter ea resumerem, quæ  
 in totius huius operis breui mole suis locis sparsim  
 digessi. Tibi autem ideo hunc istius libri exte-  
 rum dicaui, quia non alioqui, quàm ab  
 occasione epistolæ tuæ, in istius sup-  
 plementi conscriptionem, mem-  
 branam pumice perfricui.

Vale, Nouioduni ter-  
 tiodecimo Calen-  
 das Aprilis.

1531

Caroli

# CAROLI BO

VILLI SAMAROBRINI

libellus de Laude Gentium.

AD LECTORES.



CRIPSERAM Lectores studiosi, in triumphalem iubilationem ue psalmū, Lauda Hierusalem dominum : discussione admodum breuem. Fungens quidē in eo utcunq; interpretis officio: & promens in lucē, id quod scitu dignum, sese obtulit menti. Nam diuiso eo per clausulas, & sigillatim quid mysterij tegat inspecto: quicquid mihi, in profundae cogitationis secessu serianti spiritus in mentem dedit, non filui. Et iam excussus mihi ē digitis calamus (cum nollem psalmum deinceps alium eius rei gratia contingere) leui ocio marcebat. Cū subinde accessit, affuit ue amicus, laudata importunitate molestus: adhortans quidē, suadens, orans, inō à desiderio planē suo compellens & cogens ut abiectum mox resumerem calamus: causatus quidem me penē nihil egisse, nisi uni isti psalmo, cuius iam introspectis uisceribus prompseram arcana ipsius in lucem, alium quendā psalmum adiungerem: quem pari mea interpretationis enodatione, facerem priori illi socialem. Respōdi amico illi penē uim uerbis inferenti, statuisse me, uires (quāquam

f 4      exiguō

Ioan. 12

exiguo fessas labore) pauxillum resumere, & feriarum iam aliquantisper uelle. Iurgatus confestim ad id ille, mea mihi in os uerba retrusit: Et adiecit, debere haudquaquam à me permitti, ut is mentis impetus, quo in prioris psalmi stadio cucurreram, ullo tempore cōsenescens solueretur. Sed quādiu accēsa dei lucerna mea, per diuinas arenas gradiuntis regeret uestigia, nulla ratione temperandū mihi esse à bono opere: ut sic huic quidem cōsentaneus eloquio usquequaq; fierem: Ambulate dum lucē habetis, ne uos tenebræ comprehēdant. Hac igitur ego tanta instantis amici adhortatione, nihil mei me iuris faciens, imò meipsum illius uoto dedens, consensi tandem, ut omnium quidem psalmorum duntaxat breuissimū, pro temporis angustia introspicerē, uenamq; illius aperirē. Et priori psalmo, quippe in iubilo laudis confini, hunc unū pari secretioris medullæ libatione, adiungerē: ut citius mea hac uillicatione solutus & uiribus resumēdis, & leui ut statuerā ocio incumbere. Obsecutus itaq; preculis illius amici, adsumpsi protinus psalmum hunc, Laudate dominū omnes gentes: mea qualicunq; operula discutiendū: ut qui prius cœperam à laude clangere, etiā in laude desinerem: Et duplici tuba, lato uē & angusto ore festiuas dei laudes cōcreparē. Iam uero ut huic finis epistolæ detur, prima eius psalmi clausula ad amussim introspicienda è regione nunc astet mentis oculorum.

## Laudate dominum omnes gentes.

In priore psalmo, Lauda Hierusalem dominum: adhortationem laudis à spiritu audit, non uniuersus orbis,  
non

non congregatio gentium, nec multitudo omnium mundi nationum: sed sola ubi Hierusalem: quæ metropolis quondam fuit & caput regni Iudeorū, electa à deo in tēplum, in sacerdotium, & in sanctificationem filiorum suorum. Audit inquam, sacra illa dei mansio se comoneri à spiritu, haud dubie sancto, ut expergiscat exiliatq; uelut à somno, & è longo teporis silentio ad concinendas & emodulandas corde, ore, organis ue sacras emeritasq; dei laudes, quibus obnoxiam & illigatam se esse uidet, ob inenarrabilem quæ perceperit dei donorū & beneficiorum largitionem: uti ob uictū, ob uestimentum, ob sanitatem, & ob deniq; pacem in gyro circūhabitantium nationum: His enim bigeminis dei donis alimonia, uestimēto, sanitate, & pace, distinguitur omne id bonum, quod à necessarium est, tuendæ sub cœlo elementari corporis armoniæ: Et postremo ob interiorem filiorum benedictionē, per quam à propitiato & cōciliato mortalibus dei uultu, & patefacta subinde exuberante illius aluo, ut meliora, ita & occultiora ac secretiora impenduntur bona præstantiorum animarum. In hoc aut breui psalmo, quem perfunctorie suscepimus discutiendū, per quedam instigatio, idest adhortatoria conclamatio & persuasio fit emodulandæ dei laudis. Sed in hoc animaduertendū istud est, ut diuersa longe sonant ab illo iubilantium partium interualla. In illo quippe uel candidatus sacerdotum grex à plebe, uel uniuersus populi globus omnisq; Hierosolymitanorū cuius turma audierunt à spiritu è sublimi loquente, euigilandum, exurgendumq; ocys esse ad festinas dei laudes. In hoc autem finge, si placet,

f s

placet,

placet, ut uel à Hierosolyma urbe, uel à Iudaica tribu, uel ab uniuerſa Iſraëlitici populi ſynagoga, omnes quidem gentes, quæ è circunciftonis pacto non erant, prouocari, ſuaderi, & concitari in iubilum: Ideſt, ut ſua ora adaperiant, ut ue non tacendis, imò palam efferēdis diuinis laudibus canora adaptent labia. Et exinde, quod ſubintelligi debet, ut etiam manibus, organis, & cunctis conſlandæ muſicæ modulationis inſtrumentis illi hilares plaudant. Feſtiua proſecto eſt, & perſæpe inſolens dei letitia, quoties hæc ſuper homines quauis ex cauſa incūbit: uelut aut ob liberationem eorum à malis, aut ob diuinorum beneficiorum munificentiam. Adeo ut hæc uix lora ſua cohibeat in ſeiſpa, quin ocuus præ hilaritatis abundantia geſtiat erumpere: Imò perſractis anguſtijs, uelut flamma è clibano foras exuberet: ut uel à perſona in perſonam, uel ab urbe in urbem, uel à gente in gentem demigret. Vt ea ſcilicet uel perſona, uel urbs, uel gens (quæ quia diuinæ plena eſt iucunditatis & exultationis: quæ ue quia diuinis inebriata, obrutaq; beneficijs, oculos ſuæ mentis, cum affluenti dei luce, reuoluit in deum) mox uicinam uel perſonam, uel urbem, uel gentem ſuæ ſecum faciat opimitatis, ſecundæq; fortune, & plenitudinis diuinorum bonorum participem. Tacentur equidem à cunctis mala, Silentur aduerſa quæ nobis undecunq; ſiniſtre incubuerint: Et nec inuidentibus hoſtium cateruis hæc denunciantur, ne fortè latentur inuiſi hoſtes, cum male nobis inſauſta ceciderit alea. Teſtis eius rei eſt lugubris iſtius eloquij ſermo, quem poſt mortem Saulis & filiorum eius, fuſo à Paleſti-

nis

DE  
VIL  
LYO.

nis Israël, clementissimus in hostem David, de inimici  
 & persecutoris sui morte dolens ac moerens cecinit:  
 Nolite inquit annunciare in Geth, ne forte latentur fi-  
 lie incircuncisorum. Et subinde maledicens loco ruinae  
 & cadis inimici sui adiecit: Montes Gelboe, nec ros nec  
 pluvia descendant super uos. Secus autem fit in bonis  
 atque in malis. Nam bonorum super se ingruentiam alto  
 quisque clangit lituo, & plausibilis letitiae iucunditatem  
 tacere, & mutis suppressere labijs solet nemo: Quinimò  
 à facie illius, pruriens quilibet, totus repente extra se  
 fit, & prae animi exultatione è laribus erumpens suis,  
 eoque secretiore thalamo mentis proripiens sese adusque  
 ualvas sensuum, citato propero ue gressu domo excu-  
 rit, ut uel amicos qui sibi bene habenti congratulen-  
 tur inuitet, uel ut hostibus, quo ampliore zelo flam-  
 mescant liuoreque ferino strideant, denunciaret id bonum,  
 quo labens è super diuinus imber, stillauit impluitque  
 super ipsum. Cum etiam in euangelio sit, eum qui-  
 dem qui ouem unam è palante grege perdiderat,  
 postquam eam tandem reperit in montibus errantem,  
 inuitasse prae letitiae abundantia uicinos in domum  
 suam, dixisseque illis: Congratulamini mihi, quia in-  
 ueni ouem quam perdideram: Et paulopost, mulierem  
 quae drachmam unam perdiderat, ubi euersa domo amis-  
 sam inuenit drachmā, conuocasse illico uicinas mulieres  
 in domum suā, ut congratularentur sibi, quia drachmam  
 eam quam perdiderat inuenisset: Non omittendus in si-  
 gnū plausibilis & insolētis istiusmodi letitiae testimoniū  
 refer

2. Reg. 1

Lucæ. 15

Lucæ. 15



**Luce. 1** referre Mariæ uirginis, quæ salutata ab angelo Gabrie-  
 le, nec cœlestis nūcij uerbis incredula, ideoq; diuini sem-  
 nis conceptione dignata: insuper & de cognatæ suæ, ste-  
 rilis Elizabeth impregnatione edocta, mox præ inusi-  
 tati & noui gaudij plenitudine relicta domo, abiit con-  
 festim in mōtana Iudææ, ut uisitaret cognatā suā Eliza-  
 beth: Et ubi demū illius applicuit domui, affuitq; ab ocu-  
 lis eidē præsens, cōfestim ut facta est uox salutationis eius  
 in auribus illius, exultauit semestris infāns præ gaudio  
 in utero Elizabeth. Quæ sensum tanti miraculi agno-  
 scens, & cœlestis prodigij illapsam in se nouitatem à fa-  
 cie istiusmodi letitiæ tacere nec ualens nec uolens, illi-  
 co, ut prophetico spiritu plena ad cognatam Mariam  
 ait: Vnde inquit, hoc mihi, ut ueniat mater domini mei  
 ad me? Et rursum, ut facta est inquit, uox salutationis  
 tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infāns in utero  
 meo. Et ut in præconio perficiundæ intra se diuinæ ope-  
 rationis nihil omitteret: uerum ut coniungeret initijs  
 finem, & felicibus exordijs faustum annecteret tantæ  
 rei complementum, rursum adiecit: Et beata inquit, quæ  
 credidisti: quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt ti-  
 bi, à domino. Beatam ibi ex fide eam, quæ credidit appel-  
 lauit. Et beatiorem iterum censuit eam ex euentu ope-  
 ris, quod & ex prædestinatione dei, & ex merito fidei  
 perficiundum breui erat in regali uteri ipsius aula. Di-  
 uini etenim operis excellentia id nimirū supra humanum  
 opus habet, ut ubiq; iustas à nobis deponat arras præ-  
 cocis præuiēq; fidei: Adeo ut si nulla increduli ad diui-  
 na uerba hominis fides præcurreret (tanquam si is licet  
 à deo

à deo petens flagitansq; medelam, diuino tamē obfisteret consilio) ibi uelut diuina sese manu ocludente, uel nulla, uel difficillima succederet diuini operis perfectio. Haud solent pictores siccis & imparatis tabulis adhibere colores absq; præmissa in eis olei mollicie, qua colorū uarietates, & tenacius hærent, & nitidius resfulgēt: Sic diuina manus penicillus nil nobis impingere dignatur, nullis suorum colorum uenustatibus nostram deformitatem illustrare solet, nisi corda nostra didicerit bene cū primis affecta, & emollita senserit ea sacro fidei oleo, quo diuinarum decentiarum colores & profundius nobis illini queant, & illustriores niteant. Multauit indignās angelus Zachariam, patrem præcursoris Ioannis, sibi coelesti legatione fungenti incredulum, longa taciturnitate & silentio. Nec prius solutum est uinculū labiorum eius, donec pariente ea quæ prius uocabatur sterilis, impletum est in ea, ad diuini operis miraculū: quod missus à deo angelus illi in ministerio altaris stanti denunciarat: Dominus quoq; I E S V S, ut sacrū eius euangelium habet, nunquam languentibus & infirmis sanitates reddebat, nisi illorū credulitatē & præuiā fidem ex ipso eorum uerbo & responso compertam prius haberet: sæpe quidem numero interrogans ab ijs qui sanitates & morborum remedia ab ipso deposcebant: Credis quod hoc possum facere tibi? Et respondente ualitudinario quolibet, Credo domine: respondebat mox coelestis medicus, non materialis medicaminis ope innixus, sed solius imperialis uerbi affatu curans omnium languores, Iuxta, inquam, fidem tuam fiat tibi. Exoluebant languentes

tes & infirmi hanc unam tanto medico suo præiæ fidei mercedem ac precium, priusquam ullum ab eo consequerentur sanitatis remedium & præmium. Vbique ab his lucidissimis testimonijs edocemur, fidei quidem arrabonem esse præiæ & antesignanam quandam sacri totius diuini operis dispositionem. Et uelut antelucanū matutinum ue rorem, sicca prius & arida hominum corda rigantem, & instar olei ea mollientem: ut & altiorē diuinum semen in sulcis humanorum cordium mitteret radicem, & tanto firmitus dei opus staret, quanto uerus ille aut suæ imaginis effictor, aut quorumuis suorum bonorum insculptor & autor, ipsa hominum corda tenaciorē fidei uisco altius & profundius imbuta offenderet. Et ex aduerso commonemur uel peruiaciam seu duriciam cordis in eo, qui aut morbi remedium, aut peccati ueniam, aut quoduis bonum postulat à deo, uel etiam modicitatem aut penuriam fidei perparum, imò nihilo distare à contradictione, à uallo & impedimento diuini operis in nobis perficiendi: Perinde atque tabula, nullo oleo confersa cuiusuis decore imaginis iudicatur indigna. Nec minus & solum rore aut imbre nullo irriguū, diuini sermonis impregnationi censetur ineptū & inidoneum. Sed ab his iam regrediamur ad plausum coeptæ letitiæ, & ad festiuam exhortationem diuinæ laudis, quæ hic ad omnes gentes, uel ab uniuerso Israële, uel à Iudaico populò, uel ab Hierosolyma urbe fit, sub hac insigni conclamatione, Laudate dominum omnes gentes. Manifestum est enim, hanc ipsius sui fontis labro condātiā primitijs, & uelut in ipsius sui fontis labro con-

sedisse

fedisse in penetrabilibus cordium populi dei: quem pluri-  
 mis suis beneficijs ab omni cetera natione mundi deus  
 olim distingui uoluit: Et præ exuberantia suæ plenitudi-  
 nis hanc eandem letitiam uelut breuibus metis cinctâ, cō-  
 tineri ibidem non potuisse: Quin tandem è cordibus eo-  
 rû, uelut ex angustî sui fontis margine erûperet eousq;,  
 ut sacra alluione sua infertile antea separatarum à deo  
 nationû solum fecundaret: Id est, ut inuitaret secum ui-  
 cinas & aridas deo gentiû nationes, ut uel uni sibi pro-  
 sperare in his quæ dei sunt agenti congratulentur, uel secû  
 diuinarum laudum præconia emodulentur. Conspirant  
 enim huic sacræ inuitationi quæ contuberniû alienæ pro-  
 mittit gēti, participandæ diuinæ letitiæ (id est, qua ab He-  
 braico populo ut à dei electo, inuitantur ceteræ natio-  
 nes ad emodulādas secum dei laudes) & Psalmi rursum  
 alij complures, ut hic quidem quo decantatur, Cantate  
 domino canticum nouum, Cantate domino omnis ter-  
 ra. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus  
 populis mirabilia eius. Afferte domino patriæ gen-  
 tium, afferte domino gloriam & honorem, afferte do-  
 mino gloriam nomini eius. Et in sequenti iterum psal-  
 mo: Dominus regnauit exultet terra, letentur insulæ  
 multæ. Vbi per insulas multas intelligenda est ampli-  
 or diffusio diuinæ letitiæ, non solum usque in uici-  
 nas gentes & habitatrices continentis terræ, sed & in  
 gentes longinquas & barbaras, ignotarum accolæ in-  
 sularum. Consentanea etiam sunt & huic festiuæ gen-  
 tiû adhortationi uerba Esaie: quæ de præcuratore domi-  
 ni ualida insonuit tuba, dicens, Audite inquit insule,  
 &

Psalm. 95

Psalm. 96

Esaie 49

Et attendite populi de longe. Et nō satis est sancto psal-  
 ti huic nostro inuitare sub persona suæ plebis, et in no-  
 mine Hebraici populi oēs gentiū nationes et insulas in  
 laudē dei, nisi etiā buccinā suam à genere hoīm recipro-  
 c am faciens, exiliat festinus et hilaris præco istiusmodi  
 inso lētis letitiæ usq; in ipsum genus sublimium angelo-  
 rum. Quod quidem facit cum postea uelut supra huma-  
 na scandēs moenia addit: Adorate eū omnes angeli eius.  
 Et reflectens ocyus tantæ letitiæ modū, in ipsum deniq;  
 Psal. 148 dei populum, subiungit mox istud: Audiuit inquit, et  
 Psal. 96 letata est Sion, et exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudi-  
 cia tua domine: Quid inquam Sion audiuit, ut ideo leta-  
 ta sit? Cur exultauerūt filiæ Iudæ? Addit subinde eius rei  
 causam, Propter inquit, iudicia tua domine. Quæ quæso  
 iudicia? Quia subuerterit deos gentium, de quibus pau-  
 Psal. 95 lō ante cecinerat: Quia omnes dij gentium demonia,  
 dominus autē coelos fecit: Quia scilicet abstulerit omnē  
 uirtutem et potestatem contradicentem et repugnātem  
 sibi in coelo et in terra, et reliquerit in coelis spiritus  
 eos duntaxat, qui memores originis suæ, adorauerunt eū  
 qui fecit eos, et cognouerūt ut deū. Et quia in terris cō-  
 uerterit oēs gentes in unitatē populi sui, ut deinceps et  
 supra coelos in omni ore angelorū, et in terris in omni  
 hoīm corde et labio federet iucūda et imperturbabilis di-  
 uinæ laudis emodulatio. Hic ergo (ut iā cōcludamus leti-  
 tiā præsentis adhortationis, Laudate dñm oēs gētes) si-  
 mile quiddā sit, ac si uir, in quo diuinæ exuberet letitiæ  
 fons, extra se subinde profiliat: ut ob impartitionem do-  
 norum et beneficiorum, quæ præstiterit illi largus et  
 clemens

clemens deus, à seipso emergens recurrat in deum, gratias acturus illi ob abundantiam eorū, quibus absq; uita hæc erumposa nō se bene habet, scilicet uictus, uestimenti, sanitatis, & pacis. Et denu[m] ob interiorē animæ benedictionem, qua repleuerit deus animam illius splendoribus sanctis, spiritu item sapiētiae, gaudij, & exultationis. Nam præ plenitudine & gestiente hilaritatis affectu extra se fit quilibet, ut uicinos inuitet, ne morentur excusso idolorum & falsorum deorum iugo, reminisci secum dei ueri: denunciētq; illis, ut non modo congaudeant ipsi, imò ueniant etiā secum, uelut felices conuiui in apparatus diuinæ mensæ, nullis non bonis opulentæ: id est, ut transeant in cōmunionem & in participationem diuinorum bonorū, & in asperzionem tantæ iocunditatis, quam se liberato è scrobe mœstitudinis, & ex abyss[o] prioris tristitiæ thesaurizauerit clemēs deus sup[er] caput eius. Istud quidē habet præsentis adhortatiuncula cantilenæ, qua Isrælitica plebs, à præteritis liberata malis, & posita in magna animi exultatione, inuitat omnes gentes ut secum decantent festiuas dei laudes: Et siquidem in canticum laudis & in actiones gratiarū eas in-terpellat: non dubium etiam est, quin & ipsa omnes quoq; citet gentes & mundi nationes, ut sint secum diuinorum participes munerum, sedeantq; unā in apparatu, & in discubitu eius felicissimæ mensæ: de cuius instructore & hilari uultu erga suos conuiuias scriptum est: Amen dico uobis, quia præcinget se, & transiens ministrabit illis: Ministrabit inquam illis benignissimus eterni & indeficientis conuiuij instructor, ijs scilicet,

Luce 14

g quos

quos missis apparitoribus non modo è vicinis locis inuitaritur, sed quos etiā à longe, è uijs, & sepibus promiscue euocatos cōpulerit intrare in domum suam. Si ergo inuitat Israël gentes omnes, ad reddendam secum deo sanctissimam laudis mercedem, nil uerisimilius est, citari pariter easdem in Israëlitarum etiam bonorum participationem. Nam & ius habet, & ratio docet, temere atq; inhoneste inuitari quemquam ad laborem, nisi qui inuitetur ad mercedem. Frustra faceret quis sementem, nisi qui speraret se suo tempore defecturū falce messēm. Et perperam quispiam in messe laborans æstus tolerat diei, nisi qui se deinceps pane satiandum, & eo alendū confidit. Sic in istius diuinæ laudationis conuentione, nusquā intelligere debemus alienigenas inuitari ut pendant deo laudis tributum, nisi qui percepturi sint uel præcurrentium uel sequētium bonorū præmium. Habet igitur & præ se fert mysteriū breuissima hæc adhortatio, innuens unionem Israëlitarum & gentium: ut & à longe, & alto oculo coniectemur, quoniam tandem ex utroq; ouili, id est ex Israëlita plebe, & nationibus gentiū fiet unum ouile. Et ex uniuerfis filijs ancille per regenerationem fient filij liberae. Vt sicut, quoniam in cunctis mundi nationibus futurum est, ut stet una communio participationis diuinorum bonorum: ita & in omnium sedeat ore unica coniubilatio, & festiūm sodalitiū, reddendæ deo debitæ & emeritæ laudis.

**Laudate eum omnes populi.**

*Iuxta consuetudinem psalmorum, quam prius tetigimus in*

mus in psalmo: *Lauda Hierusalem dominum, sit hic so-*  
*lita coincidentia partiū, & resumptio partis prioris, Et*  
*licet non sub ipsamet identitate uerborum, huius itera-*  
*tionis concinentia fiat, attamen hæc sub similitudine &*  
*pri signifiantia uocum & nominū fit, quæ ideo nihil*  
*usquam differentie nobis promit. Pars siquidem præce-*  
*dens inuitauit omnes gentes in laudē cōcinendam deo,*  
*Præfens clausula, mutato nomine gentiū in populi no-*  
*men, prouocat identidē populos omnes, ut sacrosanctum*  
*dignæ laudis psalmū impendant deo. Vide quidnā habet*  
*differentie pars ista secūda, à priore: nihil usquā. Quā-*  
*obrem post prioris clausulæ discussione superuacaneum*  
*fuerit in istius emisceratione diu mota obterere labia, lon-*  
*gioreq; uerborū filo protelare & augere cassam sermo-*  
*nis seriem. Referemus tamē, ne prorsus nil dicamus, ob-*  
*iectionē cursum hanc unam: Cur scilicet in hoc loco,*  
*inuitantur ab Israële, omnes quidē gentes, in laudē dei,*  
*& in alio psalmo longe diuersis labijs orat Israël deū,*  
*in hunc modū: Effunde iram tuā super gentes, quæ non*  
*cognouerunt te, & super regna, quæ nomen tuū nō in-*  
*uocauerūt. Et cur rursus alibi canitur: Dominus regna-*  
*uit, irascantur populi. Et iterū, Cōturbatæ sunt gentes,*  
*& inclinata sunt regna. Nā si stare nequit inimici liuo-*  
*ris pallor cū seruore & sodalitis amicitie, nec diuisio*  
*litis cū cōmunionē unitatis, nec bellum cū pace: Cur in*  
*isto quo de agimus psalmo, gentes prius quidē & loco*  
*separate & animo hostiles, tanquā iam amicæ & cōci-*  
*liatæ tā deo q̄ Israëlítico populo inuitātur ad laudes cō-*  
*cinēdas deo, & in alijs iterū psalmis, necnō & in cōplu-*

Psal. 78

Psal. 98

Psal. 45





ribus alijs sacra scriptura locis,orat Iſraëliticus populus deū:ut ſuper gētes & regna populorū ſtillet ab alto zelus & furor dei. Et ut cōturbentur,& cōmoueantur à facie eius,cuius regnum erit regnū omnium ſeculorū, & dominatio à generatione in generationē. Atqui iſta quidē obiectio nihil obſcuritatis,nihil inexplicabilis nōdi habet, quæ ſuam ſecum dilutionem & expoſitionem præfert: Diſtinctio enim temporum & teſtamentorum dei cōfeſtim expetite rationis fila dubiæ menti torquet, & ambiguae rei nitidam exolutionē affert. In tempore namq; ueteris teſtamenti ſtetit quidem diuiſio,liſ, diſſimilitudo, & inimicitia Iſraëlitici populi & gentium, quæ in conciliatione noui teſtamenti deſijt, priſcamq; pugnam ac litem depoſuit. Nam illucente ſacra monade, & pacifica oboriente utriuſq; dei ouilis concordia,antiquam mundus faciem immutauit. Abraam enim qui per circūciſionis pactum pater erat ſolius Iſraëlis ſecundum carnem, iam per regenerationis lauacrum latiffimas ſuæ paternitatis ſimbrias adauget. Cum per adoptionem gratiæ efficitur & pater omnium gentium: Dicendū igitur, quoniam ſanctus psaltes non uno tantū oculo omnem psalmorum ſuorum ſeriem decantarit, obtuleritq; ſui oris odoram immolationem deo, Sed quia dudū quosdam quidē psalmos cecinerit, in quibus uelut adumbratam caligine ſui oculi aciem duntaxat, ſub tempore & anguſtia ueteris teſtamenti cohibuit: In quo ſtante quidem diſſimilitudine & obſcura macerie Iſraëlis & gentium,perſeueranteq; inimicitia amborum populorū,orauit illius mens deum,ut effunderet iram ſuā  
super

super gentes, addens subinde eius rei causam: quia inquit, quæ non cognouerunt te: & super regna, quæ etiã inquit, nomen tuum non inuocauerunt: Vt cū etiam dum oratum est à propheta: Morientes non uiuant, gy gantes non resurgant. Et rursum alio loco: Parce domine, parce populo, & ne des hereditatem tuã in opprobrium, ut dominantur eis nationes. Hæ quidem orationes sanctorũ, quas olim, addicti solius sui populi saluti, in lachrymis & in mœrore animi ad deũ fuderunt: ueteris populorum inimicitie iurgia, lites uel, & diuisiones, quæ ad id temporis uiguere sapiebant. Alios autem cecinerunt sancti psalmographi ora psalmos, è sublimiore specula, & altiore lituo clangentia, quibus quidem transgrediens illius mens angustas fluxæ carnis metas, exiliensq; ultra ueteris testamenti fines, amplissima dei promissa, in nouo testamento futura, clara acie inspexit: Et uenturam felici etate populorum omnium & nationum concordia illius lyra concinuit. Præsens ergo psalmus in quo uersamur, ex ijs est, quæ cecinit sanctus psalmes, non ut humili pede consistens in terra, non uelut in imo per arenas & rudera ueteris testamenti gradiens: Sed è sublimiore mundi arce uentura à longe dei dona prospiciens & latissimũ oculi sui radium in id tempus reflectens, in quo tandem utrumq; dei ouile conciliandum esset in unum: Et una fieret adunata, & applicita deo turma Israël & gentium. Cum enim cecinit ipse istud in initio carminum suorum: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus domi-

Esaie 26

Iohel. 2

Psal. 2

num, & aduersus CHRISTVM eius: nulla ibi mentio fit conciliationis amborum populorum, id est, unitatis Israël & omnium mundi nationum. Sed stante adhuc diuisione eorum, uigenteq; prisca eiusmodi lite ac dissimilitudine, quæ inter ambos populos discordiæ uallum è peccati cespitibus erexit, tanto breuior eius oculus fuit, quanto sub aggerè & angustia stetit solius ueteris testamenti: Clanxerunt enim ora illius tum submissiore tuba, utpote increpantia gentes, quæ è circuncisione & pacto dei non erant, Cur infrenuerint, & cogitantes inania murmurarint, & conuenierint principes earum in unum aduersus dominum, & aduersus CHRISTVM eius. Longe dissentanea est hæc cantilena, ab ista, quàm postea eodem ore, sed mitiore & concordia iam buccina insonuit, cum dixit: Ut annuncient in Sion nomen domini, & laudem eius in Hierusalem. In conueniendo populos in unum, & reges ut seruiant domino: Ibi quidem nationes gentium separatæ à testamento dei increpantur & arguuntur, quòd steterint aduersum deum, & aduersum CHRISTVM eius. Hic uero iam populi cōueniunt pacifici in unum: ipsi quidem & reges eorum, ut seruiant domino in terra non modo sua, sed ut etiam relictis sedibus suis, uenientes festiui in Sion, & in Hierusalē, annuncient more Israëlitarum nomen domini, & laudem eius in umbilico terræ. Simile quiddā fit in psalmo quinto & quadragesimo, in quo canitur: Fluminis impetus letificat ciuitatem dei, sanctificauit tabernaculum suū altissimus: Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam

Psal. 101

bit eam deus mane diluculo. Ibi enim sanctus propheta uocat Hierusalem, ciuitatem dei, sanctificans quidem tabernaculum dei in medio eius: promittens etiam diuinum auxilium illi mane & diluculo affuturum. Et subinde ab ea distinguit inimicitiam & hostilitatem gentium, cum dicit: Conturbatae sunt inquit gentes, & inclinata sunt regna, dedit uocem suam, mota est terra. Et reflectens postremo, ad Hierusalem & ad Israël oculum suum, praeuidensq; natiuitatem Emanuelis, in cuius unitate personae nobiscum esset deus, subiungit illico: Dominus uirtutum nobiscum, susceptor noster deus Iacob. In his uersiculis, manifesta promitur distinctio Israël & gentium: Cū tamen in sequenti psalmo, id est quadragesimosexto, mox idē ipse longe istius litis Silenum inuertat, & pacificata iam lyra, concordī ue lituo canat, clangens quidem alta è specula in hunc modum: Omnes inquit gentes plaudite manibus, iubilare deo in uoce exultationis. Et paulopost prae letitiae abundantia iterans psallendi deo adhortationē, ait: Psallite deo nostro psallite: psallite regi nostro, psallite. Et causam subscribens mox inquit: Quoniam rex omnis terrae deus, psallite sapienter. Regnabit deus super gentes, deus sedet super sedem sanctam suam: Et in fine eiusdem psalmi concludens letitiam hanc, & pacem uniuersae terrae ait: Principes populorum congregati sunt cum deo Abraam, quoniam dii fortes terrae uehementer eleuati sunt. Prius quidem cecinerat: Astiterunt reges terrae, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus CHRISTVM eius. Et

nunc, uelut sublata gentiũ hostilitate, & pacificato iam orbe, canit demum eos, qui prius astitierant, & conuenerant in unum aduersus dominũ & Christum eius, nunc congregatos cum deo Abraam: Et huic etiam iocunditati ac sanctæ paci satis conspirat sequentis psalmi plausus, canentis: Magnus dominus & laudabilis nimis, in ciuitate dei nostri, in monte sancto eius. Et subinde addens: Fundatur inquit, exultatione uniuersæ terræ, mons Sion, latera aquilonis, ciuitas regis magni. Vbi attende, non posse montẽ Sion fundari & stabiliri exultatione uniuersæ terræ, nisi in præuia congregatio-  
ne & pace omnium mundi nationũ, Cum fiet utrumq; ouile dei unum, & pastor eorum etiam unus. Sit igitur ex his factum iam satis præmissæ interrogationi: Cur interdum à sancto psalmorum decantatore implo-  
ratur aduersum gentes uindex & ultrix manus dei. Et interim tamen omnes ab eo gentes citantur, ut cum Israële unanimes in diuinæ laudis participationem ueniant: Et si in participationem laudis prouocantur, etiam subintellige citari & aduocari eas in communio-  
nem bonorum eorum, quæ repromisit deus electo po-  
pulo suo Israëli. Cum, ut præmisimus, haud sit quis in-  
uitandus ad laborem, nisi & qui inuitetur ad merce-  
dem, Nec sit in eo ore actio reponenda gratiarum, nisi in cuius stomacho præfuerit, aut cui promissa sit participatio diuinorum bonorum. Nam ut uulgi pro-  
uerbio utamur, mane pectus & uacuum, & ieiunum, nimirum ad gratias est agendas pigrum, tardum, in-  
fecundum,

Quoniam

## Quoniam confirmata est super nos misericordia eius.

Subnectitur iam causa totius precedentis uersiculi, qui duplici coincidentia, ac similitudine partium, alta prouocauit tibia gentes & populos omnes, ut à somno longo sopore idolorum, in quo diu emortuæ iacuerunt, ad ueri dei euigilarent laudē. Dignum enim & æquum esse uult, factus in spiritu, & in suæ mentis eleuatione sanctus psalmorum autor, ut omnes gentes & populi læta adaperiant labia in summi dei laudem. Sed ob quam rogo id cecinit causam? Quoniam inquit, cōfirmata est super nos (intellige super Israëliticam plebem) misericordia eius. Sed iurgabitur hic forte aliquis, hanc equidem causam minus sufficientē & rationabilem uideri, ut ideo citentur gentes & populi in laudem dei, non ob bonæ suæ, sed ob bonæ & beneficia impensa Israël, ut super quem confirmata sit misericordia dei: Non enim iuste imponi debet diuinæ laudis onus uni genti, ob beneficia gentis alterius. Et nec ut diximus astringenda sunt eius gentis corda & ora, ut exoluant deo laudis tributum, super quam nō impluerit diuinorum donorum præmiū. Dicendum ad anxietatē istiusmodi instantiæ & oburgationis, iam præmissam satis fore illius dilutionem. Diximus enim sublimem fuisse & profundum, longeq; in futurum uelut ex alto montis supercilio prospicientem, sancti psalmographi oculum: Cuius os non temere citat gentes in laudem persoluendam deo, nisi qui conscio & illustrato antea corde, & oculatissima mentis acie in spi

ritu & in excessu suo præviderit uocationem gentium: futuræq; tandem etiam & illas ipsas diuinorum participes bonorum, & inferendas in filios Abraæ, inq; naturalem oliuâ Hebræorum transfiguratas. Non ab re igitur citantur ad laudem dei alienigenæ, peregrini, & inquilini, qui uēturi sperabantur cum filiis in eorundē bonorū cōmunionem. Nec insufficiens est ista quæ promitur hic causa, cur gentibus à præsentī psalmodia denūciatur ut laudent deū: Quia inquā, confirmata est super nos, id est super Abraæ filios, misericordia eius. Nam ideo super Hebræos, uelut naturales Abraæ filios, & cū primis à deo electos cōfirmata est misericordia dei, ut deinceps par et eadem dei miseratio ab Hebræis, uelut ab sui initij centro, dilataret sese in ampliorem orbis circumferentiā: Id est, ut usq; in fines orbis terræ inundaret, & propagaretur dei gratia in terminos usq; omnium mundi nationum. Cum lapis è sublimi quopian loco decidit in aquam, casum illius primo quidem ictu in superficie aquæ sibi exiguum centrum, uelut à circini pede præscribit, à quo subinde ea uestigiorū dilatatio fit, & adauctio enclicie, id est se complectentium circularum, usquequo ab attactu riparum reflexio fiat ad centrum, & ad primū illisionis ruinæ ue locum. Sic deus qui iuxta propheticiū eloquium misit lapidē in Sion, lapidem electū & angularem, censuit, statuitq; ut huius casus lapidis suorū circularum gyros ampliaret, dilataretq; sensim eos usq; in littora & fines gentium: Et demum à ripis gentium reflexio fieret & recurrentia circularum in centrum Hebræorum, uelut in primum diuini lapidis casum. Per hæc intelli

Romo. 11

intellige in mysterio Israël ramusculos (qui nunc su-  
perstite & residuo in terra sui stipitis trunco, per tem-  
pus excisi & abiecti sunt, donec, ut diuo Paulo placet,  
intret plenitudo gentium) redituros tandem aliquando  
in oliuam suam: Sicut cecinit sanctus quidam, loquens  
de deo, Cœpit ab his, transfertur ad hos, referetur ad il-  
los. Volens quidem diuinam miserationem & apparitio-  
nem, quæ cœpit ab Hebræis, & translata nunc est ad  
gentes, aliquando in sua initia, idest in Hebræos referen-  
dam: Quia ergo de plenitudine Hebræorum iuxta Pauli  
testimonium acceperunt & locupletatæ sunt gentes, ni-  
mirum sancti psalmographi mens in sacra sua extasi ab-  
sorpta in deū, præuidens, & præcognoscens, uelut è car-  
dine coeli, futuram uocationē gentium, ora olim sua ada-  
ptauit in modulationem sacram, quæ lætitiæ tubam labijs  
admouit, ut adhortatorium istud iubilum hilari corde ca-  
neret: Laudate dominum omnes gentes, laudate eum om-  
nes populi. Quoniam confirmata est super nos miseri-  
cordia eius. Intelligens quidem, quoniā si super nos, qui  
semen Abrahæ sumus, confirmata est misericordia dei: nō  
dubium etiam, quoniam & super uos, qui inquilini estis  
dei misericordia, uelut profecta à nobis inuadabit: Nam  
si etiam iuxta euangelicum eloquium (quod gentilis mu-  
lier natione Chananea, fluxum sanguinis patiens, & re-  
medium petens, ore suo ad dominum fudit) catelli edūt  
de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorū: quāto  
magis serui, fragmēta panū, quæ superfuerint filijs, edēt?  
Cū Moyses in deserto iurgatus esset ob laborē aduersum  
deū, dicēs: Obsecro dñe nōne ego genui oēm h. ac multitu-  
dinem,

Matth. 15

Mar. 7

Nume. 11



dinē, ut dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut gestare so-  
 let nutrix infantulū? Abstulit quidē tū deus, uelut subin-  
 dignans, de spiritu Moysi, & dedit septuaginta uiris,  
 qui de nomine citati & sanctificati fuerāt in id negocij,  
 ut hi cum Moysē ferrent onus populi, & iudicia totius  
 multitudinis audirēt. E quibus cū duo Heldad & Mel-  
 dad, in castris remansissent nec in montem cum Moysē  
 & ceteris designatis ascendissent, nihilominus & super  
 ipsos (ut qui de nomine citati & annumerati fuerant)  
 incubuit translatus à Moysē spiritus dei, & propheta-  
 uerunt ipsi etiam in castris. Quos cum puer in castris  
 prophetantes audiret, cucurrit illico ad Moysen incla-  
 mans ad eū, Heldad & Meldad prophetant in castris.  
 Quo audito, Iosue Moysi minister, & qui tū cū Moy-  
 se erat, forte percussus timore, ac uerens ne minueretur  
 ea dere Moysi coram omni populo solitus praelaturæ  
 & prophetiæ honor, illico subiunxit: Domine mi Moy-  
 ses prohibe eos. Responditq; illi mansuetissimus homi-  
 nū Moyses: quid emularis pro me? Quis prohibere po-  
 terit deum ut det de spiritu suo, & prophetet omnis po-  
 pulus? Hæc itaq; nō tam trāslatio, quàm dispartitio Mo-  
 saici spiritus in uiros septuaginta, tam in eos, qui sancti-  
 ficati fuerant, & ascenderant in montem, quam in eos  
 duos, qui forte non sanctificati remanserant in castris,  
 & luculentum sui numeri mysterium habuit & futurā  
 gentium uocationem edocuit: tanquam in uocatione gen-  
 tium sumpserit deus de spiritu Israël habitantis uel in  
 montanis Iudææ, uel in umbilico teræ, & dispartitus sit  
 illum omni etiam alijs quæ sub cœlo est nationi. Sed hic  
 iterum

iterum molestus percontator adest, questionemq; mouet qua postulet à nobis: Cur canitur à psalmo presenti: Quoniam confirmata est super nos misericordia eius. Cur inquam operæ precium est canere istud, confirmata est misericordia, se ea dei miseratio quæ promissa patribus dudum fuit, postmodum data est nec negata filiis? Superuacanea enim uidetur confirmatio gratiæ dei, non solum ubi fidelis ipsius promissio antecessit, sed et ubi secuta est largitio et exhibitio promissi: Promissio namque gratiæ facta Abrahæ, initium signat diuini testamenti: Datio uero et largitio illius, complementum eius innuit, et operis finem ostendit. Si ergo quod patribus promisit deus, id filiis ex pacto donauit: Si quod in patribus inchoauit, id deinceps in filiis ueridicus impleuit: quidnam iam superest residue confirmationis faciundæ, cum sit tanta diuinis habenda uerbis fides, ut debeat anxius esse et dubitare de his nemo quæ promissa sunt à deo, Cuius uerbum par est facto, et promissio iuncta par et æqua dono? Dicimus ad istud ut quanquam non fallit promissa sua deus, meditandum tamen nonnihil inesse differentie inter hæc tria, promissionem, donationem, et confirmationem, tam promissi quam doni: nec illico unicam esse horum trium significantiæ uim: Exemplum enim à Saule rege præsto nobis est: dedit namque deus Sauli sceptrum quidem regni, non uelut uiro casu electo, sed longe antea, et ex tempore Balaam à se præuiso: Quod tamē non confirmauit illi et semini eius, sed ob properam ipsius inobedientiam et prauaricationem in ultione Amalechitarum, mox concessum abstulit illi sceptrum, et transtulit

stulit illius decus in praelectam ab aeterno regni tribu:  
 Et quāquam deus patriarchis tribus Abraam, Isaac, &  
 Iacob olim dona repromississet uenturarum benedictio=  
 num, ut in eorum semine omni alij quae sub coelo est na=  
 tioni ber.e esset: nihilo tamen minus tanquā nondū fir=  
 mum esset id pactum quod inierat, cum integra &  
 bene nota fide parentum, hic saepenumero filijs irascens  
 in populum aduersum se rebellem, & durae cervicis ex=  
 canduit, delereq; uoluit in deserto uniuersum Israëlẽm,  
 nisi mansuetissimi Moyfi oratio, saepenumero irae dei  
 obstitisset: Cum enim dixit Moyfi deus non semel, dimit=  
 te me, ut irascatur furor meus populo huic, & delebo  
 eos: Te uero faciam in gentem quae hac maior & robu=  
 stior est. Ibi quidem irritum fieri potuit pactum dei, &  
 redigi in nihilum, nisi mansuetudo iustissimi uiri Moy=  
 si defregisset iram dei, & inter offensum deum ac po=  
 pulum solidam interposuisset maceriem, Ne irascens re=  
 belli populo furor domini à facie sua deleret uniuersum  
 Israël̃s semen. Ergo & oratio Moyfi, & sanctorum  
 exinde prophetarum oratio, palum confirmationis gra=  
 tia dei persæpe in populo dei erexit: & quasi uallo  
 atq; aggere deum circuncinxit, ut in tribubus popu=  
 li sui illius beneuolentia maneret: nec pinnam gloriae  
 suae ad id temporis, in gentes transferret, ut implere=  
 tur id eloquij, Et gloriam meam alteri non dabo, nec  
 laudem meam sculptilibus, quae prima abierunt. Quo  
 fit, ut si post promissionem factam à deo pendenda sit  
 à nobis necessitas iterandae uel addendae confirmatio=  
 nis eorum bonorum quae promisit deus, haud debeat  
 eius

Esaie. 42

eius causa referri in enarrationem aut immutationem immutabilis dei. Sed magis in scelus & culpam peccantis & præuaricantis populi: Deus enim uerax equidem est: & nec obliuionem patiens suarum promissionum: nec promissa fallens. Sed quia duri populi rebellio, & prona in malum fragilitatis humanæ nequitia sæpenumero facit diuinis promissis indignam: ideo in confirmationis diuinorum bonorum necessitatem interponenda est crebra sanctorum uirorum, uti iudicum, sacerdotum, & prophetarum oratio, cuius uelamen leniens & placans, succensum iræ dei ignem, non modo solidam interponat illi nubem, sed & imploret eam quã uolumus diuinarum promissionum in nobis confirmationem. Quamobrem, iam immutato priorum trium ordine, præmittemus ante omnia beneuolentiam promissionis factæ à deo: uelut initium diuini totius pacti & fœderis, quod iniit deus uoluntarie, & solo sue bonitatis instinctu, cum patribus Hebræorum. Deinde submittemus præuie promissioni dexterã diuinæ confirmationis à sanctorum uirorum oratione: iram quidem dei leniente, licet populi peccata nequaquam diluente, implo ratam, & eius robore uelut palo & solido aggere sufful tam. Tertio, postremo uel loco diuinæ donationis beneficiũ uelut diuinorum bonorum finem cæteris subscribe mus: Cuius substantia nõ usqueadeo aut in fine illius per incarnationis CHRISTI initum cum omni humano genere pactum illuxit. Nullũ etenim potuit insignius maius uel dare deus donũ, quàm cũ obtulit seipsum: Nec rem usquam cõferre mortalibus meliorem, quàm incõparabilem

rabilem suæ substantiæ mercedem. Ast is qui patribus locutus est, qui per auditum & uisum apparuit ijs quorū semen sua spōte elegit: Et qui deinceps uelut in calle medio gradiens, per intercurrentes sanctorū orationes suæ filijs promissa firmavit, tandem in fine seipsum uelut donarium maximum cunctis impertiuit: Cum in nostræ humanitatis thalamo non accidentarie, ut quondam in prophetis sedit, sed in substantia diuinitatis suæ, & in unitate personæ à coelis adueniens, & uterum uirginis subiens, nobiscum sub Emanuelis nomine entheopessim fecit, dum firmo & inseparabili nodo se nostræ humilitati coniungens, nostram uiceuersa substantiam sibimetipsi inseruit nobis ue adhesit. Istud igitur est potissimum, & præcipuum dei donum, quod præuidens à longe in spiritu & in excessu suo, sancti psalmographi elata supra mundum mens, propter illud nunc canit istud: Quoniam inquit, confirmata est super nos misericordia eius. Hæc est enim summa dei misericordia, & clemētissimæ ipsius miserationis uenia, quæ ab Hebræis profecta, non in illis stetit solis, sed & in omnes mundi nationes apostolico ore diffusa, ex inquilinis & aduenis fecit ciues & municipes dei, Nec ullam sub coelo liquit gentem diuinorum bonorum exortem: utpote per quam impletum est id quod in Osee scriptum est: Et miserebor inquit eius: quæ fuit absq; misericordia. Et dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet, deus meus es tu.

Osee. 2

Et ueritas dñi manet in æternum.

Scriptum est de deo, Quoniam deus lux est, & tenebrae

bra in eo nō sunt ullæ: Ita & deus absoluta ueritas est,  
 & fallacia in eo nulla est. Applaudit enim & huic sen-  
 tentiæ istud euangelicum eloquium, quod celebrari au-  
 dimus: Ego sum uia, ueritas, & uita. Id est (ut retro- Ioan. 14  
 grado ordine sacri istiusmodi eloquij non incelebre di-  
 cterium interpretemur) Vita quidem pertinet ad sub- Christus ui-  
 stantiæ permanentiam, & assiduam eius innouationem. ta.  
 Veritas ad lucem & sacratissimæ doctrine illustratio- Veritas.  
 nem. Via, qua gradiamur inde uio calle ad salutē. Prin- Via.  
 ceptus apostasiæ, is quidem qui inter intellectuales creatu- Pater men-  
 ras primam à deo diuisionem in cœlo cōcinnauit, infi- dacij dia-  
 mulatur à scriptura ut autor & pater mendacij: ut qui bolus.  
 in ueritate non stetit, sed abscissus à perpendiculari ueri-  
 tatis sponte in falsitatis tenebras præceptus impegit: de-  
 niq; in totis ubiq; psalmis, necnon & in diuinis eloquijs  
 nihil crebrius audimus, quàm denunciari infallibilem dei  
 ueritatem, quæ sicut annexa est luci & amatrix lucis,  
 ita & liquet falsitatem, contrariam illi, odisse lucē, ama-  
 tricem esse angulorum, & cultricem tenebrarum. In cō 3. Esdræ 3  
 tentione quondam, trium puerorum, regis Darij cubi-  
 culariorum, qui eo post meridiem in stratu suo dormien-  
 te, singuli singula problemata in charta scripserunt:  
 Zorobabel Hebræus, in cōcilio & sessione nobiliū re-  
 gis aulicorum, ob solius titulum ueritatis facile omnium  
 iudicio sapientiæ palmā tulit, & regijs muneribus affe-  
 ctus, obtenta insuper libertate in patriā reuersus, euerse  
 ad id tēpus Hierosolymæ fundamēta instaurauit: ut q di-  
 cterio suo uictoriā dederat ueritati, scribēs istud, in char-  
 ta quam obtulit regi, SVPER OMNIA AVTEM  
 h uincit

VINCIT VERITAS. Hactenus dicta sint hæc ad absolute ueritatis pertinentia nomen. Nunc autem nostri psalmographi uerba rimemur, Et quid sibi uelint sub cute hæc inspeciemus. Canit nimirum post præmissa, & concludit in hunc modum lyra ipsius: Et ueritas inquit, domini manet in æternum, ubi intellige ipsum ueritatis nomen prorsus absolute istic inspicendum non esse, sed flexo radio sub relatione quadam & respectu eorum, quæ iam præcinit libandam esse à palato mentis illius significantiam. Nam quoniam non abstulit deus à filiis id quod patribus promisit, nec pactum suum, (cum uerax sit) irritum fecit: sed confirmata est super filios misericordia eius: ideo iure nunc canitur: Et ueritas domini, tanquam immobilis, manet in æternum. Si enim promissa patribus dei misericordia confirmata est in tempore medio prophetarum: Et hæc eadem in tempore nouissimo data est & concessa, omni nationi, utiq; in his tribus colligitur, & quasi in quadam concluditur syllogismo: Veritas dei quæ non mentitur, nec promissa usquam sua fallit: Etenim, quia quod promisit deus in initio, firmavit in medio, donauit in nouissimo: ideo in mystico horum trium numero è tribus conflatur sacer syllogismus, & sancta illatio diuinæ ueritatis, ut credamus & cōfiteamur, eum qui in se ipso, & longe supra inopem & breuē nostræ meditationis modū absoluta & immensa ueritas est, esse etiam in operibus quæ egit erga nos nihilo à ueritate deuium. Imò ueracem, opereq; implentem, & luculento effectu perficientem ea, quæ solo antea uerbo se facturum, &

homi

hominibus impēsorum promisit. Inter homines persepe accidit, ut præcurrens quidem alicuius uerbum, fallente opere, & factio uocem non sequente, impingendum sit mendacio & non ueritati. Quod præuidens alibi sanctus psaltes, factus in mentis excessu, canit : Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Et rursum, filij hominum usquequo graui corde, ut quid diligitis uanitatem, & queritis mendaciū? Non aliud ibi intellige mendacium, quàm sine facti & operis subsecutione semel emissum ore uerbum. Atqui ad ueritatis substantiā, quæ semper est amica & placens deo, annectenda est uerbi præmissioni ipsa subsequutio facti, Et adiungenda uoci, progressæ è labijs exhibitio operis, qua absq; natat in aëre uacuum & inane uerbum, simile paleæ nil tritici intus habenti. Cum igitur CHRISTI quidem incarnatio sit eius exhibitio operis, quod promisit patribus deus, qd' exinde confirmauit, orationibus sanctorū prophetarum & sacerdotum placatus, hinc in substantia & persona CHRISTI, in qua, stat inseparabilis unio dei & hominis, figendus est typus & statuendū exemplar diuinæ ueritatis: ut ideo mente & ore collaudemus deū, ut ueracem & ut ea quæ promisit bona non negātem: quia in nobismetipsis sacram elegit sue deitatis manifestationem. Nam in CHRISTI natiuitate, non accidentariū deus donū dedit, sed semetipsum hominibus impertiri uoluit. Per hanc omnem doni & muneris mensuram & munificētiam supergressus, uerbis facta, & promissis opera coniunxit: nihilq; liquit ieiunium aut uacūū, quod non impleuerit: nihil imperfectum, quod non ad

Psal. 115

Psal. 4

h 2

consum



Psal. 76

cōsummationis adduxerit culmen. Nō ab re igitur canit exultans psaltis istius nostri tibia: Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & ueritas domini manet in æternum: Etenim quanquam ob hominum peccata irascens interim deus apponat nubem sibi, quæ tegat faciem illius & abscondat uultum eius à nobis: tamen iuxta psalmum alium: Nunquid in æternum projiciet deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiā suā abscindet à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri deus? aut continet in ira sua misericordias suas? Quasi subintelligi postulet: Nequaquā projiciet in æternum, nec obliuiscetur misereri, nec continet in implacabili ira indulgentiam miserationum suarum. Et postea addit: Et dixi, nūc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Quenam queso est hæc mutatio dexteræ excelsi? nisi ut deponens à se, tristem quidem uultū, quo per tempus à nobis auersus est, & excutiens ignem iræ suæ, aspersum rore & imbre orationis sanctorum, induat tenebras obliuionis peccatorum: Et in scientia sua iustificet impios, reuocetq; per tempus abiectos, in æternam hereditatē testamenti, quod pepigit cum electis suis: Hæc est enim pœnitentia domini interdolentis super malicijs hominum, & continentis uindicem manum suam à malo, quo alioqui ob scelera sua plectendi erant hi, qui eum quauis ex causa offenderant. Hæc ergo dei pœnitentia & miseratio facit, ut buccinemus proclamemusq; ore & ductilibus tubis, ueritatem domini manere in æternū. Et sanctificemus in nobis deum, uelut in cunctis uerbis suis ueracem, & in operibus

operibus fidelem: Quod etiam prophetia Balaam testatur, inquit de deo sub interrogationis modo: dixit, & non faciet: locutus est, & non implebit? Visio quoque Hieremæ, uigilantem uirgam contuentis, id habet: Vigilo, inquit ille ex persona dei, super uerbo meo, ut faciã illud. Et si de fidelitate dei, & ueritate illius in æternum permanente placeat alicui latius istuc afferri testimonium, omiſſis nunc sanctorum prophetarum eloquijs, quorum sensa diuinæ astipulantur ueritati, citabimus ea sola, quæ nunc nobis præ manibus sunt psalmorũ modum lamina. Canitur in psalmo octogesimooctauo: Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ: Misericordia & ueritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui scit iubilantionem. Ibi neſtuntur cum primis iustitia & iudiciũ, uel ut præparent extremi iudicis sedem, uel ut sedeant cum in bonorũ spem, tum in reproborum terrorem à dextris & à sinistris illius: Deinde misericordia & ueritas unius etiam nodi aſtrictione simul colligantur, uelut antecessuræ uenturi iudicis faciẽ, & posituræ inter bonos & malos discrimen, chaos ue: ut hi in supplicium tristes, illi in uitã leti eant. Et in psalmo octogesimoquarto, iterum ueritas dei memoratur ut illius misericordie uelut soror pari ligamine societur: cum canitur, Misericordia & ueritas obuiauerũt sibi: iustitia & pax osculate sunt: obuie quidem in progressu suo sibi inuicem factæ sunt misericordia & ueritas ante uenturi iudicis faciem. Iustitia quoq; & pax è regione & ex aduerso illius grata sibi & concordia oscula dederunt. Et quia

Nume. 22

Hiere. 1

h 3

Christus

CHRISTVS (cuius personam sic intueri, uenerari, & reuereri debemus, ut ipsa sit quidem absoluta ueritas dei patribus olim promissa, & in nouissimis diebus, exhibitam mūdo) natus est è semine Dauid: ideo audiamus, quænam sunt, & quàm fidelia dei promissa, facta de eo ad Dauid. In psalmo rursum octogesimooctauo: legimus, Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi eū. Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum. Veritas mea & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Ibi iterum ueritas & misericordia, sororio & concordie nexu in unum ligantur. Et paulopost, ad ostendendam æternitatem testamenti sui ait: Ipse inuocabit me, pater meus es tu: deus meus & susceptor salutis meæ: Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi: Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli: Et quia misericordia & ueritas uelut sorores unico & pacifico ubiq; nodo uinciuntur, ideo confestim inchoat psalmes de misericordia loqui, & ostendere sacras promissiones dei, quæ in patribus præcesserunt, esse firmiores omni delicto, auersione, & præuacatione filiorū. Illico enim subiungit: Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint: Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerbis peccata eorum. Ibi paulisper subsiste, & attende, quæ sit ista uisitatio dei, in uirga & in uerberibus:

Quoniam

Quoniam ut in alio opere profecuti sumus: duplex est castigatio hominum à deo: una filialis, quæ molliore flagello in uirga & in uerberibus fit, qua deus eos quos diligit leuius punit, & ut filios castigat: Nec misericordiam ab eis suam aufert. Alia est correptio seruilis & dura, qua deus eos quos abiecit. seuerissime punit: aufferens misericordiam suam, ab eis, sicut abstulit à Saule quem duræ puniens, excusso ab eo regio dyademate, prorsus etiam eum censuit à facie sua sum-mouendum. Hactenus in eo psalmo de misericordia dei, etiam in filiorum peccatis stabili & permanente, sermonem sanctus psalmographus prorogauit. Et subinde ad ueritatis nomen alludit, cum dicit: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in ueritate mea: Neque prophanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita: Et ad ostendendam uim confirmationis & stabilitatem pacti sui, etiam iusiurandum addit, cum ait: Semel iuravi in sancto meo, si Dauid mentiar: semen eius in æternum manebit. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. Et postremo ut ostendatur ea sancti psalmographi fuisse intentio, ut ueritatem dei uoluerit finire & adimplere in aduentu & natiuitate CHRISTI, citandum est eius rei testimonium à psalmo centesimo trigesimo primo, in quo memoriam pul-sans dei, canere incipit hoc uersu: Memento domine Dauid & omnis mansuetudinis eius. Et in medio prosequitur, uelut humano ore loquens, & ex per-

Castigatio  
duplex.  
Filialis.

Seruilis.

Psal. 88

h 4

sona

sona sua dei benignitatem in Dauid interpellans: Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem CHRISTI tui: Et subinde promissiones dei cum iuramento & uoto denarrans, ait: Iurauit dominus Dauid ueritatem, & non frustrabitur eum: quam queso ueritatem? mox iam uelut non in persona sua, sed in uerbo dei ad Dauid loquens, eam exponit, dicens, De fructu inquit, uentris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filij tui testamētum meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos: Et filij eorum usq; in seculum sedebunt super sedem tuam. Et postea de loco, & ciuitate æterni regni: deq; perenni mansione & requie dei in ciuitate electa subiungit: Quoniam elegit dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et in fine psalmi, concludens omnem promissionem factam ad Dauid in lucerna & illustratione CHRISTI, ait: Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernā CHRISTO meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem effloreat sanctificatio mea. Hæc uniuersa sancti psalmographi cantilena læta aperit labia, comploditq; exaltatas manus ut exultet ipse, & applaudat æternæ dei ueritati, demuncietq; fideles esse illius promissiones, quæ suo tempore & loco sint à deo (consentanea uerbis habente facta & opera) complendæ. Et nec ab re, Pharisei domino IESU de sua passione coram ipsis mystice sub exaltationis nomine prædicanti, responderunt: Nos audiuius ex lege, quia CHRISTVS manet in æternum: Et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium

Ioan. 12

filiū hominis? Et quis est iste filius hominis? Sciebāt quidē  
 illi (cū ex lege, tū à patribus edocti) CHRISTVM.  
 cum uenisset (quippe ob carentiam peccati immortalem,  
 quāquam se mori permiserit) mansurum in eternū. Ne-  
 sciebant tamen quid mysterij haberet, exaltatio filij ho-  
 minis, et qualiter per eam genus mortis suæ ipse qui de  
 seipso in parabolis loquebatur describeret, ut qui exal-  
 tandus à terra, & in sublimi appendendus pro humani  
 generis salute, positurus erat sponte animam suam, &  
 breui resumpturus eam. Et nec etiam nouerant, quis es-  
 set iste filius hominis, cuius quidem tituli nūcupatio, per  
 excellentiam mundæ, innocuæ, & hærentis deo humani-  
 tatis illi adscribēda erat: Nec demum sciebant ipsum esse  
 CHRISTVM, ut qui, talem se profitēti, audaci ore  
 contradicebant. Mansit ergo CHRISTVS, quæ  
 est ueritas dei in eternum, & non mansit in eternum.  
 Non mansit quidem in eternum, cum crucifixoribus  
 suis, à quibus triduanae mortis sepultura separatus in  
 posterum disparuit: Et nec amplius ab eis uisus est. Mā-  
 sit autem in eternum, ob duas causas: in primis iuxta  
 substantiam personæ suæ, quæ solidum diuinatis & hu-  
 manitatis nodum in morte periclitari nō permisit, Et nec  
 quicquam quod suum erat amisit: ut qui iacens in sepul-  
 chro deus & homo permāsit: & ea etiā de causa, quod  
 post triduum resurgens, corpusq; incorruptum resumēs,  
 iterum discipulis suis uiuus apparuit: & non modo cum  
 eis discubuit, sed et sicut ipsius ueritatis uerba nos edo-  
 cuere, se quoq; cum eis usq; ad consummationē seculi fu-  
 turū promisit. Et si usq; ad consummationē seculi, quā-

h 3 to ma

to magis pereunte hoc seculo stabit cū eis in uentura beatitudinis aeo? Perseuerabit enim, post consummationem seculi huius cum electis suis deus, regnabitq; cum eis, in instauratione uenturi beatioris seculi, in quo mors & peccatum non erunt amplius, quæ prima & uetera succedentibus nouis à deo tollentur. Sed quia iā sat longa sermonis linea in huius breuissimi psalmi explanatione nobis pertransijt, quæ docuimus, Cur læta sanctissimi psaltis ora prouocarunt alienigenas, gentes & populos, non Abraæ filios, in laudem dei, ob scilicet confirmationem diuinæ misericordiæ super Israëlē, quæ demū ab Israëlitis tribubus, propaganda erat, in fines omnium gentium ob etiā ueritatem dei, manentem in æternū, utpote perenni sodalitia adiunctam & annexam, ipsi dei misericordiæ. Insuper & quidnam misericordia, & ueritas dei: Et quorsum eiusmodi sacrorum dei nominum theorie sint in CHRISTI personam, uelut in sacrum piagnus & substantiā utriusq; testamenti, ab interioris oculi inspectione traducendæ & secretius animaduertendæ. In hoc, instant uela portu, tanquam in eo qui dandus erat à deo in lucem gentium, & futurus expectatio earum, pliocanda: Et nauicula quæ breuinos hætenus flumine deduxit, fixo in littore palo alliganda.

FINIS.

CAROLVS BOVIL,  
 LV S SAMAROBRI NVS IOAN  
 NI GENLIO NOVIODV  
 NENSI EPISCO  
 PO S.



**Q**UIA inter eos, qui ad diuinarum aspirāt  
 noticiam rerū Præsul clariss. nihil usquam  
 certius, nihil fidelius, & quod ualidioris te  
 stimonij, ampliorisq; autoritatis sit, ipsis  
 sacris eloquijs est: quæ manifeste ab spiritu dei, per ora  
 prophetarū loquēte, manarūt: ideo in hoc opere, de con  
 certatione et area peccati dicturus, testimonium cōpara  
 ui mihi, nō ab historijs gentiliū, sed ab ipso fonte & pe  
 lago sacrorum eloquiorum. In quo, post edoctam mun=  
 di originem, nulla, quàm sola electorum dei resonat hi=  
 storia, nec ulla prorsus, quàm diuina referantur uerba.  
 Progredior igitur, non ab re, in hac breui lucubration=  
 cula celeri pede, per diuersa electorum dei indiuidua, &  
 singularia: ostensurus, quænam sub ipsis, cū temporum  
 & rerum nouitas in mundo obtigerit, tum quæ etiam  
 duella, quas ue pugnas, & mali obluſtationes, ab insolē  
 tia se erigentis peccati, aduersum se concitatas, aliquan=  
 diu id permittente Deo, electi & amabiles dei pertule=  
 rint. Quoad tandem deo manum ab alto clementer ex=  
 porrigente, ijsq; quos elegerat & prædestinarat sibi  
 ab euo, præsidium ferente, uicta & prostrata mali lues,  
 penitus obſiluit. Et reuulsa totius peccati radix, inuisis  
 propa



propagininibus pullulare, & iustos dei laceſſere deſijt. Ca-  
nitur ab eccleſia ſolemnitate paſchali, Mors & uita duel-  
lo conſlixere mirando: dux uitæ mortuus, regnat uiuus.  
Quid quaſo habet, & præ ſe intus fert hæc eccleſiaſti-  
ca cantilena, inſi quandam peccati ſeu mali concertatio-  
nem, & albicantes eius ſpicas ad meſſem, Et tandem iu-  
ſtam ipſius mali in area ſua, & ſumma quadam ſui ex-  
tollentia, ſubuerſionem? Nam unde mors, niſi à peccato,  
& malo? unde uita, niſi à uirtute, et bono pèdent? Mors  
itaq; & uita, duello dudum mirando, in probatione ele-  
ctorum Dei conſlixere, Et ambigua quondam, atq; ſub-  
obſcura in eis amborum ſtetit pugnantium uictoria.  
Quoad in nouiſſimis temporibus, in electo electorum, in  
Nazareo Nazareorum longe admirabilius, & miracu-  
lo, memoratuq; dignius certamen, & ualidiorem conſli-  
ctum ipſa mali, ſeu peccati, & mortis inſolentia conci-  
tauit. Et uſqueadeo pinnam ſuam extulit, ut autorem ui-  
tæ, qui mori non recuſauit, mors ipſa, per impiorum ma-  
nus ſeuiens, peremerit. Et in ſuos caſſes, triduo traxe-  
rit eum, qui carens omni labe, uita erat & ſalus omniũ.  
Sed ſicut in præteritis Dei electis, dubia & anceps ſte-  
tit certaminis & pugne uictoria: ita & in iſto poſtre-  
mo, Dei electo, clariſſima lōge excreuit, effulſitq; uicto-  
rie palma. In eo enim ipſa mortis concertatio, uelut iam  
prouecta ad ſuæ uirtutis, & extollentiæ ſupercilium, pa-  
rauit haud dubie ſibi meſſem, falce Dei deſecandam, &  
in area xixaniorum uoracibus flammis committendam.  
Nolens quippe deus aut fortitudine uincere, aut diſper-  
dere conſeſtim ab initio ſemen mali, inſertum à maligno  
cordi

cordi primi parentis: Maluit uincere lege, iudicio, &  
iustitia: ac præstolari, quoad semen mali, iuxta euangeli-  
cam ueritatem, messem & aream faciens, colligendū esset  
inter zizania, & angelicis manibus igni inextinguibili  
deurendum. Hæc sunt igitur antistes reuerende, quæ  
quum in hoc uersum opusculo, nusquam à sacris eloquijs  
oculum in latus reflexi. In his enim palum fixi meum,  
uelut super munitionem, ut is & sinistrorum uento-  
rum flamine, & aduersantium aquarum illisio-  
ne solidior, aduersum fortè posticas calu-  
mniatorum sannas suo me robore ful-  
ciret. Vale. Nouioduni quar-  
to Nonis Aprilis.

1529.

## CAROLI BO

VILLI SAMAROBRINI LIBER

de concertatione &amp; area peccati.

DE CREATIONE MVNDI, ET  
inobedientia primi parentis, & origine  
peccati. Cap. I.

MYSTERIVM nō mediocre,  
sed alto & profundo mentis sinu  
condēdum, habet creatio mundi:  
quæ sex diebus, nō manuario ope  
re, sed miro ac terrifico affatu,  
unius tantum Dei, et spiritu illius,  
super liquidam aquarum substan-

Homo.

tiam inambulante, perfectionem sui decoris accepit. Et

hominem, uelut cunctis nimirum rebus præstantiorem,

sexta die post omnia refudit: qui utpote & dono ratio-

nis, & diuina effigie insignis, diuinum haud ab re opus

clausit. Septima enim die peperit nihil deus, ab ope-

re quippe consummato & perfectō siluit, Sabbatissimum

ipse egit. Quieuitq; secū ipse, dū & in se ab opere resi-

luit, & in seipso resedit: opusq; insigne, quod iam patra-

rat, & in decoris sui ordine stabat, sanctificauit. Homini

quidem cum primis benedixit: quem eleganti operis to-

tius sui munificentia præficit, & omnia illi, ut oluscula,

in escam submisit. Præfectus diuini operis pulchritudini

homo: relictusq; in manu consilij sui, potiturus erat eter-

na Dei

Sabbatum.

Homo operi  
dei præfectusHomini feli  
citas.

na Dei amicitia, angelorū itē sodalitiō, et iocūdo simulq;  
beato incolatu paradisi. In quo affluens omnium rerum  
abundantia, non illi, uti seruo, in labore manuum, & in  
sudore uultus sui necessaria præbisset, sed illum unum,  
uelut inferioris dominum mundi, & filium Dei, in ma-  
gna quiete, felix terra suapte natura ferax, sulcorum ne-  
scia, nec ligonis indiga, aluisset: & quod potissimum di-  
uinorum donorum est, amictu & ueste beatæ immorta-  
litatis induendus erat homo, mansurusq; in luce, & io-  
cunda claritate contemplationis diuinæ: cuius diem nulle  
usquam tenebræ in noctem uertissent. Sed infelix serpen-  
tis inuidia, ab imo emergens tum nimis uicina homini  
fuit, quæ liuore suo perrupit tantæ humanæ felicitatis no-  
dum: & inobedientem hominem abiunxit à deo: & be-  
nedictionem illius in maledictionem commutauit. Eiecit  
eum propterea hominem à se Deus, peccati onere pre-  
grauatum, illiq; ut iam dissimili sibi, & iniqua maligni  
suggestione labefactato, exilium paradisi indixit: por-  
tasq; perennium deliciarum flammeo angelo eas custo-  
diente præcluserit: sanxitq; eum à cœlesti mansione extor-  
rum, eum erumnosam in istis elementis traducturum ui-  
tam: tum demum, premente uoluntariæ noxæ pondere,  
in terram, de qua sumptus erat, rediturum. Paruit ita-  
que iræ dei infesta mors, cui nō paruerat homo: Et hæc  
quidem, uelut instrumentum effecta diuinæ iustitiæ, obe-  
diens præcipienti Deo, nō modo huius inobedientis sub-  
stantiam soluere potis fuit, uerum potentiam, quā à Deo  
accepit, ceu peccati-ultrix operi & effectui coniunxit,  
quasq; uires habuit in hoīe exercuit. Animā nēpc illius  
festinato

Immortalita-  
tes hoīs.

Inuidia ser-  
pentis.

Homo para-  
diso eiectus.

Mors.

Homo è t-r  
ra fictus, re  
digitur i ter-  
ram.

festinato occasu à theca corporis abiunxit, Thecam corporis exanimem & per seipsam expertem uitæ, infirmi nature sue reddidit, quum in aridam terram, ex qua, factò limo, debilis eius urna coaluerat, eam resoluit. Hæc itaq; fiat lex humane maledictionis, erumnose causa uitæ, & totius mortis origo, quæ in cunctis deinceps filijs mansit, & in tota primi parentis posteritate, uim quandam late à deo legis obtinuit, ut parceret mors nemini prorsus eorum, quos ducta à primi parentis fermento labes, & originis macula uiciauit, quosq; hætenus sacro Dei sodalitis indignos reddidit.

DE PRIMA PECCATI AREA IN  
Gygantibus: quam deus diluuialibus undis  
perinundauit, Cap. II.

**M**ors itaq; accepta à Deo super hominum genus potestate, non ulli deinceps pepercit homini, quin solueret in cunctis ipsum animæ & corporis coniugium, quod solido nexu strinxerat manu sua deus. Quod quidem à creatione hominis sanxerat firmum, iugèq; futurum: Ni alioqui interueniens obscura peccati nubes, in illo cum uitæ eclipsem, & separationis à Deo tenebras peperisset: tum infauistam ipsam mortis causam dedisset. Sed tamen eousq; protensa est humane generationis linea, ut tandem peruentum sit ad unum, in quo obedientia inobedientiam uicit: & per quem innocentia reatum abstulit, & cuius obitu, mors ignoto sibi mysterio percussa, seipsam suo sic gladio confodit, ut mors mortem destruxerit. Veruntamen haud illico ab initio deleri, & subuerti

subuerti debuit ipsum prædominans mortis imperium, ut sublato eo, homo in eam, à qua exciderat, beatitudinem & immortalitatem rediret. Verū pluribus magnisq; interuallis, ut id fieret, processit à sua sublimitate, ad nos usq; Deus, placuitq; summæ illi deitati, non repente inimica mortis castra, ut ea suo flatu subuerteret, æquaret ue solo, adoriri, nec immaturæ illius arbori admouere securim: sed sensim progredi in illius euerfionem, & lenta manu moliri arcanorum suorum, & secretorū cōsiliorū oracula, in humani generis liberationē. Ac primum quidē permisit, ut exigua in initio, & perdebilis adhuc peccati spina, cordi primī parentis à liuore serpētis infixā, in sequentium hominū plantulis late floreret: & humilis illius radix in proceram arborem succresceret: ut ue obscurum ab initio mali semen, ingentem cum primis faceret aream. Euertēda enim tum est iniqua, sinistra ue umbræ arbor, & admouenda illi securis, non illico quum ab imis radicibus adolescit, sed quum primū per maximam sui magnitudinem in comas usq; sublimiū ramorum profecerit: quum floruerit, & fructum suæ radici tulerit cōsentaneū. Nam quū, iuxta eloquium omnis arbor ex fructu noscatur, frustra quis ante fructum evertendam censuerit arbusculam, cuius bonitatem aut maliciam nondū ex fructu ipsius compertam habet. Nec etiā est messis legenda in semine, & in uiridi adhuc culmo demetenda: sed quum primū sole tosta maturuerit: Tum enim si frugi est, in aream cōportanda fuerit, & plastro tritanda: uel si zizaniorū segēs est, ultore igne, & uulpeculis Sampsonis, cū faculis ardentibus perden-

Matth. 7

Lucæ 6

Matth. 13

Iudi. 15

i

da. Per

da. Permisit itaq; Deus, ut semen quidē peccati iactū ab astu maligni, in primorum cordibus parentum, non mox emoreretur aut interiret, sed ut in uastam quā primis arborē, securi & flammis dignā, uis illius proficeret, Et grandem zizaniorum & loliorū aream, igne in fine deurendā faceret. Prima igitur inundauit succreuitq; memorabilis peccati area in proceris gigantibus, qui in corporis robore confisi, contemptores religionis & timoris Dei, nil non mali egēre, nil sceleris non admiſerunt. Hos diluuiο deus perdidit, & factο ex cœlestium & terrestrium aquarum inundatione famoso & ingenti cataclysmo, tantas originalis mundiordes deterſit: & inquinatam terræ faciem, à uicijs eorum lauit. Hanc ergo primam peccati aream offensus sustulit Deus, & perdidit. Voluit tamen ab hac iniquitatis area, quam aquis deleuit, saluari & superesse, tam cunctorum animantiū, quàm humani etiam generis instaurandi semen. Nōdum enim ad summam suorum loliorum aream, ipsum peccati germen deuenerat. In qua penitus à Deo uis illius extincta, florere, & iniquū ferre fructum desineret. In octo itaq; animabus, quæ diluuiο superſuere, humanū genus Deus instaurari uoluit: In quorum posteritate peccatum (quod diluuiiales aque minime suffocare potuere) mox reuixit, & fructum iterum iuxta suum semen tulit. Quem queso fructum? Ignorantiam scilicet Dei, separationem à Deo, multiplicatē Deorum: eorum, qui Dijs non sunt, quos arbitrio quilibet suo, sibijsi, non multo post diluuium, conflare cœpit. Nam pro Dijs & amicis, inimica dæmonia

Gigantes.  
Gen. 6

Diluuium.

Cataclysmus

Genesis 7

Ignorantia  
Dei.

Idololatria.

monia, ligna item & lapides, delusa ab initio, barbara gens excoluit. Hæc separatio à Deo uero, & falsa religio, plurimum ue deorum introductio, à uoluntate emerfit singulorum, suo quidem ipsorum arbitrio & iure uiuentium. Et subinde post diluuium aquarum cataclysmū, tam latas hæc idololatriæ pestis radices misit, ut sub eius pestifera arboris umbra, humanū genus omne lethargo somno obdormiscens, iret in obliuionem Dei factoris sui, Et uniuersus orbis, qui debuit templū esse dei, transfiret in aream peccati, & in possessionem eiusmodi inimici, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου. 10. quæ scripturæ uocant principem huius mundi.

## DE AREA IDOLOLATRIÆ

12.14 &amp; 16

post diluuium, deq; triplici unitate Adæ,

Noë, & Abraæ.

Cap. III.

**L** Abente in ignorantiam ueri Dei, originali mundo, & nemine iam post diluuij expiationem, non idolum, non Deum sibi ab arbitrio suo faciente: tanta exorientis idololatriæ & perfidiæ area inundauit, ut quū passim à Deo uero populorū & nationū turbæ deficerent, prouideret sibi ipsi Deus tanti mali remedium, saluaretq; sibi uirum unum Abraam, in quo & in cuius semine ac benedicta posteritate, sacer cultus unitatis, & inobfuscabilis diuinæ scientiæ lux, salua & illibata cōsisteret. Huic ergo, & toti illius posteritati Deus circūcisionis signū in ipsius carne posuit, quo uisibiliter benedictionis semen eximeretur à maledictionis semine, & agnosceretur foedus & pactū ueri Dei in suis cultoribus, manifesto distinctū signo ab his, qui suæ uolūtati & arbitrio pmissi, sibi peculiaria idola, domesticos ue deos

Abraam se-  
lectus.

Circūcisio.



passim cōflabant. Deus enim, ut unus, & amator unitatis, ita & in uno uiro Adam humani generis primordia iecit, & è limo terræ hominem condidit: Deinde in uno Noa, post exterminatam à diluuiio primā peccati areā, humanum genus instaurauit: Postmodum in uno etiam Abraam, uiro Abraam, fideli & iustitiæ parente, abominatus surgentis idololatriæ luem, & iniquā ignorantie ueri Dei detestatus aream, suæ unitatis cultū innouauit, sanxitq; cum seruari illibatum. Quamobrē ab initio mundi usq; ad Abraam triplex cōsideranda est perfectorum hominum unitas, longe memoratu dignissima, quæ supra multitudinem in malum labentē, diuina cōseruante uirtute, emicuit. In Adam floruit unitas prima, & primordium conditionis humanæ: In Noa apparuit unitas instaurationis humani generis secundum carnem: & iuxta humane uoluntatis propagationem: In Abraam, unitas re floruit occumbentis iam ueræ lucis. In quo origo cœpta est diuini cultus, & cōseruatio agnitionis unius ueri Dei, quæ inter tenebras hominum, sua sponte in Idola defluentium, ut ignis in nocte, tenui adhuc splendore in tanto Dei amico emicuit. Sicut enim unitas Dei, utpote principium & origo omnis creaturæ, genuit, peperitq; multitudinē entium, & in ipso creationis ordine itum est ab ente uno in numerum entium: ita & id mysterij in priscis seculis apparuit, ut ab unitate Dei, in multitudinem Deorum, lapsu temporū mundus uel in bonum, uel in deterius profecerit. Sed tamen in profectu & in successu mali, ut illud tandē tolleretur, itum est reciproca latione, à multitudine in unitatem. Deus enim, exterminandi

minandi causa mali, dum latas præcidit illius habenas, lapsum à se mundum, à multitudine reuocauit in monadem. Nam per multitudinem impiorum gigantum, quos diluuiò tulit, in unum uirum Noam, relapsus mundi status, ueterem sui faciem immutauit. Rursum à Noa, labentibus iterum in ignorantiam ueri Dei turbis, Deus medelam huic malo laturus, in unum Abraam fluxas perditì mundi habenas recollegit. In quo signum, fœdus, & fidem sui solius cultus mansuram instituit, ut hominum in idola labentium aream, in futuris generationibus perderet: & in huius solius semine, quod ipsius signum, & fœdus, & fidem inuiolatam tulisset, maneret spes, & expectatio substantialis unionis ipsius cum humano genere. Ut tandem unius hominis uera & personalis unio cum deo, fieret medela separationis uniuersorum: & tam etià salutis humane, quam nobiscum diuine unionis initium.

## DE DESCENSU POPULI

Dei in Aegyptum: & liberatione eius

ab Aegypto.

Cap. II II.

**E**Xcurramus iam ab Abraam fidei pariete per Isaac, per Iacob, amabiles Dei patriarchas, usque in duodecim filios Iacob, quos sanxit Deus in mystico duodecimarij numero, fore duces uenturarum, deligendi à se populi, tribuum: Excurramus inquam, & cum Iacob & filiis eius, premente urgenteque fame, descendamus usque in Aegyptum: in qua populus Dei, iuxta Dei promissa, mirum in modum, & ad numerum stellarum firmamenti, Seruitus populi dei in quadringentorum annorum spatio coalui. Ibi enim, non absque occultæ significationis mysterio, dura seruitutis Aegypto.

iugū sub Pharaone & Aegyptijs, in lateritio opere, peregrina, in terra nō sua, gens perpeſſa eſt. Quæ quāquā ibi idola Aegyptiorū, lapides & beſtias terræ colentiū, & falſam inaniū deorū religionem inſpexerit: nō tamē ueri Dei ſui obliuionē, uelut prorsus cæcutiens accepit: utpote, quæ immodicis laboribus afflicta, tandē à nimia Aegyptiorū oppreſſione, & intolerabilis laboris defatigatione expurgiscens, uerſis in cœlū oculis, ubi remiſci Dei ſui coepit, liberationem ab eo petiuit: & exaudiri promeruit. Exaudiuit enim è cœlo clamantes & ingemſcētes ad ſe. Deus: & liberatōrē illis, ac ducē, & doctōrē.

Moyſes libera-  
tor populi dei.

Moyſen ſuſcitauit: Qui liberato ab Aegyptijs populo ſuo & onus peccati ipſos hoſtiliter pſequētis, ab eis excuſſit. Et in mari ſarcinā erroris ſuffocauit: liberūq; & exultātē populū in deſertū adduxit. Deumq; patrū ſuorū illis è flagrantis montis cacumine oſtēdit. Adeo, ut loquentē in terris cū homine Deū, ſtupens rudis populus audiret, legē ab ore Dei acciperet: Et nihilo ſecius, ut à farina & puluere Aegypti conſperſa fuerat, dura, & æræ ceruicis gens in Deū rebellis fuit: legiq; & cultui entis unius minime in initio acquieuit. Quāobrem riſum

Moritur in de-  
ſerto duræ cer-  
uicis populus.

in ea excreuit area & alga peccati. Quæ ſic in deſerto maturuit: ut quadragenorū annorum ſpatio, morte conſumptus duræ ceruicis populus, peccati ſui onus deponeret, ſuæq; in Deum rebellionis, & offenſæ poenas daret. Expiata igitur à fruge & reſidua ſegete populi Aegyptiacæ farine lue, ſurrexit in locum patrū ſuorū populus nouus, qui idola Aegypti, ac ſimulachra nō uiderat: nec à fermento gentilis ignorantie incaluerat. Hic

Populus no-  
uus.

quidem

quidem sub nouo & inclyto duce Iosua (nequid diuinæ Iosua dux.  
promissioni impingeretur mendacij) Iordanem transijt,  
& in terrā patribus pmissam intrauit, eamq; possedit:  
In qua paruo tēpore numerosam prolem fecit. Et p uar-  
rios Duces, Iudices, Sacerdotes, ac Prophetas sub sacra  
legis disciplina stetit: Et in unius Dei cultu manēs, breui  
in regnū profecit. Sed in primi sui legis delectu enituit Reges populi  
mystica eius duelli species, quæ inter carnē & spiritū, Israëliti.  
in cunctis hominibus, ab insita peccati spina dispunctis Saul,  
cōfossisq; uiguit. Regē enim primū habuit secundū car-  
nem & hominū uoluntatem, quippe magnitudine pro-  
cerum, robore præualidum, & populi desiderio, nō Dei  
præcepto obedientem. Quo quidē tandē reprobato, & David.  
amato, rex illi secundus præfuit, magnitudine paruulus,  
& aspectu decorus, electus secundū cor Dei: qui æterni  
regni soliū accepit ex promissione Dei, in futuris gene-  
rationibus pmanfurū. Profecit exinde regni decor usq;  
in erectionē templi toto orbe famosi: quod struxit rex,  
nō studio & lucubratione sua doctus, nec humana erudi- Salomon.  
tione ad sapiētiae apicem puectus, sed dono & munere  
Dei, sapiētia plusquā humana illustratus, & cui in dote  
sapiētiae, ante eū par fuit hominū nemo, nec post eum fu-  
turus sit similis illi. Hic quidem arcam Dei (quā ad id  
tēporis, uelut in populo suo peregrinā, & nullo adhuc  
fixam loco, texerat à pluuiā, tabernaculū pellium) indu-  
xit in templū: & cōgregata ad id festiuitatis omni ple-  
be Israël, sacrificijs plusquā regia impensa dignis, Deo  
immolauit. Surrexerūt post eū reges uarij, bonitate & Varij reges  
malicia promiscui: alij quidē adherētes Deo, alij cultum  
i 4 Dei

**Templum à  
Caldeis suc-  
cenditur.**

**Abel.**

Cain,& Abel.  
Gigantes,&  
Noa.

**Abraam & Pa-  
laſtini.  
Iſmaël, & Iſaac.  
Eſau, & Iacob.  
Filij Iacob, &  
Ioseph.**

**Zaram, & Pha  
res.  
Saul, & David.**

**Gentes, & He-  
bræi.**

Dei, ob idola deferentes. Offensus tandem Deus, cū malicia iniquorum regū, tum peccatis seducti à regibus populi, regem, populum, & templū in manu hostili dereliquit. Hostes enim Caldei templum succēderūt, populum in captiuitatem abduxerunt. Tum ibi in morte impiorū ingens apparuit peccati area, qua per annos septuaginta deserta colonis suis & habitatoribus terra luxit. Et qua etiā manifesta carnis aduersum spiritum colluctatio inundauit. Hæc enim pugna ab initio mundi in morte Abel iusti cœpta: iniquū sui specimen ab aurora humanæ creationis præmisit, & demū in his sensim inualuit, qui persecuturi erant iustos. Quiq; gratos, & placētes Deo uiros, habituri in odio, uti primum euenit in Cain & in Abel: in quibus prima emicuit mundi pugna. Deinde in Gigantibus & in Noa, hæc dissimilitudo stetit. Postea in Abraā & in Palæstinis suū liuorē acuit. Hinc in Hismaële & Isaac resloruit. Postmodū in Esau & Iacob clarior hæc discordiæ labes effulsit. Hinc in filijs Iacob exarsit, dū aduersum unū Ioseph (nempe & à deo, & à patre plus omnibus dilectū) cæterorū fratrum odia cōcitauit. Deinde in Zaram & Phares, filijs Iudæ, nōnihil uigoris ostēdit. Rursum in Saule & in David latissimas discordiæ uires effudit. Postremo in nationibus gentiū, & in populo Hebræorū manifestam uitæ dissimilitudinē exercuit, ut postea singillatim edifferemus.

COLLECTATIO ET VIGOR

*peccati inter fratres Cain & Abel. Cap.V.*

**T**Anti ergo fuit uigoris, & pungentis stimuli lues,  
& ſpina peccati, infixæ ab initio cordi Adæ, ut in  
omni

omni illius posteritate ſeuiens, acce tandem duellum ſe-  
 cerit: Et ut in inferiore parte carnis, uelut in caſtris ſibi  
 accommodis, ſtans: grauius aduerſum ſpiritum arma tulle-  
 rit. Humanum enim genus, eius uigore ſpine, mox gemi-  
 nas in partes diſſeſcuit: In alios quidem, qui ſecundum  
 carnem, & iuxta hominum uoluntatem nati ſunt: Et in  
 alios, quos ſecundum ſpiritum, & ex uoluntate Dei ma-  
 ternus alius addidit in lucem. Excurramus ergo iam per  
 ſtadium ſingulorum, & ſubſcribamus hic, doctrine gra-  
 tia, quedam humani iſtiusmodi duelli & conſlictationis  
 exempla: probaturi, in quibus proteruiens caro, nec ea  
 ſapiens quæ dei ſunt, in ſpiritum rebellis fuerit, & ad-  
 uerſari illi totopere niſa ſit: Et ubinam etiam hominum  
 uoluntas, diuinæ ſemper obſtiterit uoluntati, licet præua-  
 luerit iſta, ſuccubuerit illa. Nō enim præualeat ullius in-  
 ſolentia luſtæ contra Deum. Inſpectemus igitur ut cau-  
 ſa doctrine primum iſtius quam ueſtigamus colluctatio-  
 nis ſtruamus exemplum: ſtatim ab initio mundi Cain &  
 Abel fratres: uiſuri, quo pacto hi & erga Deū, & ad-  
 inuicem ſeſe habuerunt. Hi ſiquidem ubi ætate adoleue-  
 re, obtulerunt ambo ſacrificium Deo: Ille quidem de adi-  
 pibus, & primitijs frugum terræ, Iſte de primogenitis  
 ſui gregis. Ad ſacrificium huius reſpexit Deus: Ab illius  
 ſacrificio uultū, uelut offeſſus, auertit. Idq; accidit, non  
 quod malum eſſet ſacrificium Cain: Amborum enim do-  
 na, quæ Deo offerebant, ſicut orta à bono, ita & bona  
 erāt, et grata fortè, atq; accepta Deo. Sed diſplicuit ſcu-  
 tatori cordi Deo in Cain mala, nō dubiū eſt, intētio of-  
 ferētis, & interior peruerſitas cordis: in Abel cordis

i s inno

Oblationes  
 Cain, &  
 Abel.

innocētia, & recta intētio, cum honestioris doni substātia, nō potuere non maxime placere oculis dei. Obtulere equidē ambo rē animatam deo: Sed Cain in anima dūtaxat uegetatrice, & in dono prorsus exanguis, nō tam placare studuit faciē Dei, quā qui uideri maluit offerre ali quid. Abel simplici corde ante Deū, animā obtulit illi sensitiuā, & in carne & sanguine uiuentē. Amborū sacrificia mysteriū non modicū prae se tulerūt: Innuerūt enim in posterū sacerdotalis oblationis substantiā: qua, in futuris Christianorū generationibus, per oblationes carnis & sanguinis, in uisibili specie panis, qui ē frugibus terris fit, placādus erat Deus. Indignans itaq; Cain, nō placuisse Deo oblationē ministerij sui, mox percitus ira ultionē ab innoxio fratre saeuus expetiuit, & fraterno sanguine arētia terrae uiscera, humani adhuc cruoris nescia, scelestus rigauit. Primus igitur ille fuit uisibilis fructus iniquitatis, & prima area peccati, quae nascēs ē fratrum duello, cruentū peperit homicidiū. Prima ibi colluctatio apparuit carnis aduersum spiritū, qua is qui typū gessit carnis in liuoris sui zelo, hūc, qui secūdū spiritū, & uoluntatē Dei fuit, crudeliter extinxit: Et felicitū aīarum primitias in sanguine corporis sui lotas, ad Deū cruento exitu prae misit. Sic is qui primā hostiā, deo libaturus, mactauit: qui primū aīalis sanguinem, immolans Deo, fudit: & ipse factus est hostia Dei. Quū primus fraternis manibus occumbens, & in sui sanguinis lauacro expiatus, huius uite tributa Deo exoluit. Et iustus, in iniustitia & fratris scelere, ante diem carnis onus exuens, citato itinere, primam animam, compotem rationis, paternae reddidit brigini,

Primū homicidium.

origini, qui primam sensitivam animam libarat Deo.

DVELLVM SEV DIVISIO PEC-

cati inter gigantes & Noam, Inter gentes &

Abraam, Et inter Hismaëlem & Isaac, Ca. VI.

**P**ost exactū Caini et Abelis duellū, & usq̄ adeo in-  
ualuit, & in deterius assidue profecit florēs germē  
peccati, ut in primordiali generatione gigātū, innēsam  
mox fecerit Areā. Robusta enim, & corpore p̄cera gēs,  
uiribus plusquā religioni cōfisa, mox in omne scelus iuit,  
Et immemor effecta dei, oculos, et corda deflexit in sordes  
uitiorū: Adeo ut tantū unus æuo illo inuētus sit Enoch,  
qui diuerso à cæteris calle gradiēs, & custos probitatis  
fieret Deo dignus, ambularetq̄; cū Deo. Quē Deus è nu-  
mero et cōuersatione impiæ gētis eximere cupiēs, ad se-  
ipsum, nō cōsuetæ mortis genere, sed ignoto, & inuisibi-  
li raptu trāsulerit. Post Enoch trāsdatum ab hoībus ad  
deū, rursus intantū iniquitas abūdauit, ut tantū etiā unus  
postea tot inter scelestos iustus appareret: quē diluui-  
o, & exterminationi impiorū, cū sua domo Deus, saluū su-  
peresse iuberet. Et qui idco cōscriberetur à Deo, fœde-  
ri, et instaurationi, totius humani generis, fatalibus aquis  
perimēdi. Post aut̄ famosam impiorū gigātū à diluui-  
alibus aquis cladē & exterminū, labēte rursam in idola,  
& in ignorantia ueri Dei, noua & instaurata hoīum  
generatione: tanta iterū florētis peccati messis & area  
inundauit, ut deus, qui in uno hoīe Noa, superesse diluui-  
o humani generis reliquias uoluit, etiā in uiro uno Abraa-  
mo, religionē & noticiam sui unius, saluā esse p̄uideret.  
Hūc equidē iustū, malentem inter suos flammis dissolui,  
quam

Enoch.

Noa.

Abraam.



quàm per impietate, & superstitionē idolorū à ueri Dei cultu separari Deus à persecutionibus impiorū eximere & saluū superesse uolēs, iussit è terra natiuitatis suæ, in ignotā demigrare regionem, quā se daturū posteritati illius repromissit. Huic ergo uiro iusto in terra peregrinationis suæ nati sunt filij duo: unus quidē de ancilla, qui secundū carneni: Alius de libera, secundū spiritū, qui ex Dei uolūtate, futurarum repromissionū hæres fieret. In his itaque duobus unius iusti filijs, è uestigio ipsa colluctatio peccati uim suam explicuit: dum sub puerilis ludi specie, maior minori, odibilis dilecto, eiiciendus, futuro hæredi persecutiones concitauit. Quamobrem ab occasione insolentis peccati, & ab omine exoriētis persecutionis, secuta est illico, iubente matre, amborum fratrum diuisio, Et futuro hærede filio domi cum parentibus retento, eiectus est domo filius ancillæ (quippe carnis typum gerens) relegatusq; cum matre, peregre in deserto Pharan habitauit. In quo iuxta specimen & lenocinium carnis, breui in uirum ingentem, robustū, & sagittarium adolcuit, gentemq; etiam, secundum sui typi figuram, uiribus robustam, & in bonis mundi huius negociatricem progeniuit. Reliquus autem filius Isaac, qui solitarius domi cum patre & matre resedit, effectus est uir muti ingenio, adhasitq; tranquillæ mentis cultui diuino: Et perseuerauit in sacrificijs iustitiæ, & in meditationibus assiduus, earum quæ supra hominem rerum sunt. Vnde hic nimirum, cū fratre suo Hismæle id interualli conflauit, quod & spiritum à carne, & Dei uoluntatem ab hominum uoluntate dirimit, ut inter duos, eiusdē patris

Ismaël è domo paterna eiectus.

Isaac patri successit.

DE FRATRIBVS ESAV ET IACOB: iuxta typum carnis, & spiritus: seu iuxta uoluntatem dei, & uoluntatem hominum.

Cap. VII.

**Rebecca sterile.**

quos ipsi postea singuli gignerent, rixas, iurgia, & bella, occulto signo præmonstrarūt. Et rursum in hora natiuitatis suæ, inq; ipso materni uteri limine, & egressu suo in mundum, prodigium aliud, uenturorum bellorum, intuentibus & mirantibus amborum personas dederunt. Nam non solum, in ipso suo nascendi modo, uerum etiam in suarum disparitate personarum, oculis intuentium uarium sui specimen in cute præmisere. Siquidem & posterior (quod rarerent, uel nunquam fieri audimus) prioris plantam manu tenebat. Et prior præter nascentium paruulorū consuetudinē, euidentis fortitudinis & feritatis signum præ se tulit, quum hirsutus, & quasi uellere tota cute contectus, apparruit: Et in morē ferinæ pellis, hispidus totus in obstetricis manus ex utero descēdit. Posterior autē glaber, et cute laui sese ex matris aluo, prioris calcaneū tenēs effudit. Mores igitur, & occultas uires amborū, ipsum uisibile cutis tegimen præsignauit. Nā is quē hispida, & penē ferina cutis tegebat, tanquā qui secundū carnis lenociniū fuit: ita et agrestis uir factus, in ferarū uenationibus sese in agris exercuit. Is uero, qui natus est cute laui, ut simpliciorū, mitiorumq; morū fuit, ita & amator meditationū, pacificus uixit, & domi sese amplius cōtinuit. Porro si tēpus natiuitatis inspectes amborum, primogenitus quidē erat is, qui secundū carnem prior uenit in hanc lucē, & futurus etiā alioqui paternæ benedictionis hæres, nisi diuina uolūtas et superna prouidentia aliō temonē, & lora primogenituræ potenti manu sua flexisset: quæ in reprobatione humanæ uolūtatē, & in abiectione carnis, astū mulie

Esau et Iacob diuersa studia.

muliebris prudentiæ sibi obsequentē habuit. Materno enim studio & astu cōmutatæ sunt diuinitus fratrum uices, Et caligātis præsenio patris, elusa in benedictione spes. Factūq; est ex prædestinatione Dei, ut is, qui propter unā escā, sua fratri primogenita uēdiderat, etiā paternā benedictione, & iure prælationis fraudatus, posthabitam uicē suam sero deploraret. Aduersum enim Deū, nullū est hominū consilium. Et bene id, feliciterq; cadit, quicquid studio, & uolūtate Dei sit. Effectū est igitur, ut filius tēpore & natu minor, maiore diuino in ordine anteiret: Et ut paternæ benedictionis donum iunior filiorū, ueste quidē fratris indutus, sed sua ipsius uoce loquēs, acciperet. Et ut quū electus Dei, tū uēturarū generationū pater diceretur. In horū itaq; duorum fratrum natiuitate, & in populorum deinceps, ab ipsis progenitorum lite, acriq; duello, peccatum latam suæ diuisionis, areā patefecit. Acciditq; in eorū macerie, iuxta id quod prædictum olim matri adhuc pregnantī à cœlesti fuerat affatu: Due gentes, & duo populi, in utero tuo sunt, populusq; populum superabit, & maior seruiet minori. Huius enim diuini oraculi ueritatem, sequentium longē temporū series perdocuit, quæ in utriusque gentis propagatione manibus manus conseruit, & fraterna contra se uiscera armauit.

### DIVISIO A PECCATO,

uiter filios Iacob, aduersum

Ioseph.

Cap. VIII.

**V**Eniamus hinc ocyus ad patriarchā Iacob: Qui ab Abraā, iusto et primo fidei parēte, tertium electorū dei

dei locū explet. Diuina quippe uocationis electio, primū in tribus patriarchis, Abraam, Isaac, & Iacob, ad numeri ternarij mysterium, singularis & collecta, in monade stetit, priusquam à triplici unō, in capita duodenarium tribuum, subsignati etiam numeri ratione (nempe subfiliali, quater tryadis, propagatione & prosapia) sese effundens: immense deinceps uenturæ generationis primordia, & initia spargeret. Iacob igitur præcepta patris benedictione, odiosus fratri effectus, intentatus sibi à fratre Esau necis minas matri aperuit. Quæ præcauēs, ac uerens, ne utroq; orbaretur filio, in una die consiliū dedit dilecto suo Iacob, ut fratris iram minasq; & persecutiones eius effugeret. Eaq; de causa in terram patrum suorum, id est in Mesopotamiam peregrinus abiret. Abijt igitur, obtemperans matri, Iacob in Mesopotamiam: In qua pro pecoribus & gregibus seruiēs annis sex, etiā annis bis septenis in uxore, & in uxore seruiuit: quibus uxores duas Liā & Rachel, cū totidē ancillis, à socero, deuorāte preciū filiarū, uelut mercenarius, lucri sibi fecit: Et harum quidem filiarum iuniorem, quippe formosam, quia plus seniore dilexit: compensauit deus numerosa prole uxorem minus dilectā, nomine Liam: & uersa uice dilectæ uxoris uulū conclusit. Qua de re ortū est inter sorores legitimū, suscipiendæ prolis gratia, in emercando concubitu mariti, certamen. Dolens enim Rachel, iunior quidem, sed ut uultu elegantior, ita & dilectior, & amabilior marito: se, secunda & puerpera sorore, effici sterilem: ancillam suam Balam in mariti torū admisit: ut saltē ex ea filios per

Iacob in Mesopotamiam fugit.

Lia & Rachel uxores Iacob.

Rachel sterilis marito ancillam obtrudit.

per genua sua suscipiens, quoquo pacto negatæ sibi stirpis, compensaret orbitatem. Id ipsum uero cernens maior soror Lia iuniori etiam inuidens, postulauit & ipsa ancillam suam Zelphan, in mariti torum admitti: Ne sorore, se dilectiore, in sobolis numero inferior haberetur. Quinetiam & maritum, pro mandragoris filij sui sibi conduxit, eumq; una nocte, pretio unius escae, iuniori subripuit. Concepere igitur, & genuere ambarum sororum ancille: hætenus felices quidem, quòd ob dominarum suarum liuorem, & propagandæ stirpis certamen, domini sui thorum ascenderint: & legitima liberaq; prole, dignæ effectæ sunt. Recordatus est tandem longanimis dominus sterilis sororis: & aperta uulua eius, gemitos illi, diuerso partu, liberos dedit. Primum quidem Ioseph, patri præ omnibus dilectum. Et nouissimum alium Beniamin, qui à periclitante in partu matre, doloris nomen accepit. Sic factum tandem est, ut è geminis uxori- bus, & duabus ancillis, duodeni filij Iacob nascerentur: futurarum totidem tribuum parentes. Ioseph autem, plus fratribus, à patre dilectus, & talari propterea tunica ab eo donatus: odio haberi ab eis coepit. Aduersum ergo hunc unum, per cæterorum fratrum turmam, peccatum suum diuisionis & litis ostēdit. Nam cæteri quidē fratres, moribus asperiores, ruri assucti erant, & in pascendis ouibus solliciti, diu noctuq; in agris excubabāt. Quamobrem dilectum cum deo, tum patri mitioris ingenij filium, domi cum patre comorantem, ægre tolerabant: Et nec audire quidē loquentem, nec uidere, dissimili sibi habitu, id est talari tunica, indutum potuerant. Tandē somnia fu-

k turorum

Ioseph.  
Beniamin.

Causa odij fratrum in Ioseph.

turorum præfaga, quæ deus huic dilecto nocte immisit, tacitam odiorum flammam eousque succenderunt, ut illi omnium custodiæ in agris incubantes, de nece huius, ad se interficiendum à patre missi, clandestina inter se consilia inirent. Sed aliò flexit deus iniquas eorum uoluntates. Is enim, qui mox præparauit piscem grandem ut deglutiret Iosnam abiectum à nautis in mare, eximere uolens dilectum suum è manibus fratrum suorum, prouidit quoque sibi ipsi, prætercuntes Hismaëlitas mercatores, quibus fratrum liuor eum uenundedit: quem patri sinxerunt in deserto deuoratum à bestia. Inque eius rei argumentum ueste illius in sanguine agni, quæ occiderant, intincta, uelut eius rei indicem, ad patrem miserunt. Ductus igitur à mercatoribus in Aegyptum, dilectus deo et patri Ioseph, uenditus est. Seruiuit uiro Aegyptio, à quo iniurias, carceres, et persecutiones, ab infatuata uxoris amore, et fraude, mercedis loco perpeffus est. Descendit ergo Ioseph uoluntate dei in carcerem: ibi diu latuit, et captiuus captiuis seruiuit. Tandem miserante, nec deserente, dilectum suum deo: carcerem, rege liberante, felix et ueridicus somniorum interpres exiuit. Regni potestate, et honorem accepit: ut uenturae temporum calamitati diuinitus mederetur. Venerunt tandem fratres eius, urgente inedia, ad eum in Aegyptum, frumenta empturi. Et iuxta præteritorum figuram somniorum (cum Ioseph, secundus à rege, toti Aegypto, et condito regijs in horreis frumento præesset) adorauerunt eum: nec tamen illico quod esset cognouerunt. Postremo discoperiente se Ioseph, et cum lachrymis quod ipse esset indicante: mutua agnitione facta: fratres eius, cum plaustris, et magna

Ioseph Hismaëlitis uenundatus, in Aegyptum ducitur.

magna bonorū substantia ad patrē reuersi, mœsto patri  
rē gestā nunciarunt. Latius re noua Israël, superstite au=  
diuisse eū, quē mortuū falsō crediderat: præq; inopinatae  
denarrationis gaudio, uelut è graui somno expurgiscēs,  
surrexit. Et cū uniuersis filiis, & filiorū filiis in Aegy=  
ptū ad filiū descēdit. Ibiq; morā & māfionis sedē faciēs,  
senex, annorū cētū & triginta, extremā uitæ etatē pere=  
git, & debita naturæ, in terra aliena, in solo peregrina=  
tionis suæ psoluit: sepultus tñ à filiis suis (iuxta iusiurādū:  
quod à filio suo Ioseph, ante suā mortē poposcerat) in  
terra Chanaam, in sepulchro patrum suorū, quieuit.

Iacob cū uni=  
uersa familia  
in Aegyptum  
ad Ioseph p=  
fiscitur.

## DE REPROBATIONE HV=

mane uoluntatis à diuina, in natiuitate

Phares & Zaram filiorū Iudæ.

Cap.

IX.

**R**euertamur iam à dilecto dei Ioseph, uelut ascēden=  
tes, ad Iudam patriarchā: è cuius tribu placuit deo  
in posterū nasci debere hunc unū, qui solus in seipso per=  
pessus elatissimā peccati uim, eā prorsus extingueret:  
Et qui per iniustā peccati, in carne sua uitā, ipsum pec=  
catū morte damnaret: eiusq; spinā è cunctorū cordibus  
hominū euellens, ortū ab ea mortis ulcus sanaret. Intētio  
enim præsentanea nobis est, excurrere recto tramite usq;  
ad illū unū, in quo adepturi sumus nostræ huius auriga=  
tionis præmiū. Et obiter statumus recēdere, uelut in cur=  
su medio, uiuētis peccati & mali scuitiā, quā p admini=  
cularias manus impiorū in electis dei, permittēte deo, ex=  
ercuit. Ibi enim demum finis erit nobis dicendi: ubi pec=  
catum, uelut summo flore suo, nitescens, repente ut flos

k 2

& fœ



& foenum agri extabuerit, Et ubi per summā suae pec-  
 cantiae extollentiam illico conciderit: & uelut exhaustū  
 Populus dei uiribus, emortuum sit. Elegit quondam deus populū  
 electus. tantum unum ex omni natione: cui sub cœlo ipse, utpote  
 orbis dominus, imperabat. Hunc populū, peculiarius ap-  
 plicuit quidem sibi ipsi: & à persecutionibus insultantiū  
 aduersariorum undecunq; , lato inuocantibus se præsidi-  
 o, liberauit. Et plantauit tandem eum in terra, quam  
 patribus eorum, sua ipsa uoce, se daturum spoponderat.  
 Elegit dein è populo suo (quem duodenis tribubus my-  
 stice dispartitum esse uoluit) tribum tantū unam in ho-  
 norem sacerdotij: & tam in oblationem sacrificij, quàm  
 in leuius ministerium altaris. Elegit & in altera tribu,  
 tantum una, regium suae plebis consistere dyadema, ut  
 esset ex ea uir: qui praeesset in regnum, & in æternum  
 folium, totius populi, sub iustitia & æquitate diuina co-  
 hibēdi. Profecit ergo; adoleuitq; sacerdotij munus, ante  
 regni decus, per uiros non paucos, dignitate & splen-  
 dore uirtutis insignes. Sed tandem placuit deo, delectori  
 utriusq; muneris, immutare ipsam sacri sacerdotij fun-  
 ctionem: nō tamen immutare regni honorem. Immutare  
 quidem placuit illi sacerdotij dignitatem: Id est trans-  
 ferre illam ab ea, in qua primitus constiterat tribu, in  
 ipsam eandem tribum, æterni regni: Prædestinauit enim  
 secum ipse id à seculo: ut tandē in uiro uno, utriusq; fie-  
 ret sacri muneris conciliatio. Ut uē, in persona una, iun-  
 geretur utrunq; honorificū dei donum: quæ nō esset ex  
 antiqua tribu sacerdotum: Sed esset è tribu & prosapia  
 Tribus Iuda regum. Ordiamur ergo rem nostram ab initio & fonte  
 regie

regie profapie: id est à patriarcha Iuda, in cuius tribu regia ipsa proles, delectu & astipulatione dei, à Davidica radice floruit, & in proceram arborem adoleuit. Iudas igitur cū primis è nuru sua Thamar, quā bis uiduam in domo patris sui manere iusserat, genuit uterinos Phares & Zaran. In natiuitate igitur duorū istorum iam lis & rixa quædam naturæ apparuit, & solita concertatio peccati sese ostendit. Sed reprobatio illico peccati successit, humanæq; uoluntatis exultatio retrusa in tenebras, diuino delectui locum dedit. Voluit quidem Zaran nasci prior: & iam brachium unum protulerat ex utero, in quo obstetrix alligauit coccinū: præfiniens apud se, ignara diuini consilij, ac dicens: Iste nascetur prior. Sed præmissio ante caput brachio, præuertebat infans iste cōmunem aliorum nascendi ordinem. Quamobrem, uelut iubente deo, mox cum ipso coccino, id est cum signo humanæ præfinitionis, resiliens infantulus in matris aluum, spatium prius nascendi uterino fratri dedit. Vt posterior is, qui resilierat in uterum, cum coccino suo, id est cum manubijs hominū (quas uelut carnis primitias tulerat à mundo, priusquàm natus) sic agente deo, ex utero tandem profiliijt. Cessit ergo ibi, reprobata ocyus humanæ proteruia uoluntatis diuino cōsilio. Isq; qui & ab humanæ præfinitionis nictu, & à materialis appositione signi designatus fuerat prior, natus est ordine posterior, Adeo, ut ab ea nascendi cōmutatione percussa obstetrix, & indignās, se quidem & spe & uerbo suo delusam, ad priorem fratrem, uelut increpans eum, exclamaret: Quare propter te diuisa est materies?

Phares & Zaram miraculosus partus.

ceries? Aegre id tulit, improvida & nescia diuini secreti mulier, Dolens quidem, sed minus aduertens, decreto, & uoluntati dei, nec licitum esse, nec posse humanū obfistere consilium. Et certe uel miraculo, uel cuidam mysterio, istud fuerit adscribendum. Quod in benedictione Iacob uoluntas quidem & cōsilium mulieris stetit: euentumq; prosperum habuit, In natiuitate autem Phares, & Zaram, reprobata hominis, nempe mulieris, uoluntas, cessit diuino delectui: ut ostenderetur huius sacri ueritas eloquij: non esse ab homine festinandū, super altissimi dei uoluntatem.

### DE CONCERTATIONE PEC-

cati in initio regni, inter Saulem &

Dauid.

Cap. X.

**A** Phares & Zaram aliò iam transeamus: ut post peregrinationem, & mansionē Aegypti, in qua populus quadringentis annis in magnam gentē coaduit, & persecutiones, ac iugum aduersariorum sustinuit: Post etiam quadragenariā habitationē deserti, quæ cōtractas ab Aegypto carnalium desideriorum feces, plurimorū morte deterfit: illitasq; idolorū effigies, deo uero cōtrarias, à mētibus diuinæ plebis expiauit: reuertamur in terram Iuda, & stemus in ea: Penetremusq; leui & sicco pede per uarios iudices, duces, ac sacerdotes, qui populo dei sancte & rite præfuerunt: quiq; eū in sacre legis ritibus erudierūt, & ab hostibus liberauerūt, quoadusq; perueniamus ad initium regni. Præfuit igitur populo dei, paulo ante ortum regni, summus sacerdos Heli: qui quia neglexerit correptionē filiorū suorum Ophni & Phinees

Heli sacerdos.

nees, unique coram deo agentium (nempe à sacrificijs diuinis auertentium plebem) ambos eos, uoluntate dei, in bello Palestinorū cæsos, tristi nūcio audiuit. Et subinde pro arca dei capta, dū amplius expauit, cecidit retrorsum è sella sua, confractisq; ceruicibus expirauit. His igitur à deo summotis, successit in locum Heli, dilectus deo & hominibus Samuel, fidelis sacerdos & propheta in conspectu dei, & in ministerio uniuersæ plebis Israël. Samuel propheta & sacerdos. Hunc uero non tam secundum carnis uoluntatem natum fuisse docent scripturæ, quàm uirtute, gratia, & implo-  
ratione sacræ orationis: qua mater ipsius, nomine Anna, quæ in plures iam annos sterilis, æmula suæ Penennæ impropria egre ferebat: illum ipsum à deo mœsta, & animo amara, inspectante Heli sacerdote, & temulentam eam æstimante, petiuit & obtinuit. Electorum enim dei peculiare istud quondam fuit: ut plus ui orationis, & è parentibus in multos annos sterilibus nascerentur: quàm aut humana uoluntate, aut feruescente luxuriantis carnis incendio. Sed quamquam ubi adoleuit, tanta morum sanctitudine & probitate claruisset in populo dei Samuel: filij tamen eius mox à paternis moribus degeneres, & peruertentes iudicium dei causam rebelli populo dedere, regem, instar caterarum nationum flagitandi à deo. Sitiuit igitur, petuitq; populus à Samuele regem, cupiens quidem hactenus fieri uicinis gentium nationibus non dispar. Indignatus autem deus hac petitione eorum, cū ipse inuisibiliter in populo suo regnaret, mox orāte Samuele, signa indignationis dedit grandia & ingētia: uidelicet tonitrua, fulgura,

1. Reg. 1

Israeliticus populus petit regem.

k 4 gra

Saul in regem  
deligitur.

grandines, pluuias, & ignes. Adeo ut perterritum his  
coelestibus signis populum, tæderet, poeniteretq; incon=  
sultæ suæ petitionis, quæ regē à dilecto dei propheta sibi  
designari postularat. Annuit tamen utcunq; deus peti=  
tioni eorum, ut regem à similitudine omnium gentium  
sibi dominantem haberent. Delegitq; illis, is qui ab alto  
nouit & speculatur omnia, & in cuius conspectu ho=  
mines super terram gradientes sunt sicut locustæ, uirū:  
tum quidem animo probum, mitem, ac simplicem: Et ut  
cunctis statura corporis procetorem, ita & ad id tem=  
poris morum probitate meliorem: è minima tribu Israë=  
litarū. Profecit uir istæ electus à deo, & inunctus à pro=  
pheta Samuele in regem: habitaq; de Palestinis & Ama=  
lechitis uictoria, erexit sibi fornicem triumphalem. Sed  
mox in initio regni, quāquam alioqui bonus esset, obe=  
diuit tamen carni, & non spiritui: populo, & non deo:  
displicuitq; deo id, quod in sumenda de Amalechitis, &  
eorum rege, dei ultione, non secundū deum egerit: uerū  
paruerit hominū cupiditati potius quàm suæ uoluntati.  
Translatus est itaq; ab eo spiritus dei in uirum alium:  
ut qui etiam ex prædestinata à seculo regum tribu non  
erat: Et iuxta uaticinium Balaam, tollendus erat, pro=  
pter Agag regē Amalechitarū. Prouidit ergo sibi deus,  
regem alium secundum cor suum, futurū ducem populi  
sui: non procerum ut prius corporea statura uirum: sed  
adolescētē, paruulum, & aspectu decorum, Non etiam  
asinas patris inquirentem: sed patris sui oues in deserto  
pascentem, Non deniq; è cunctis fratribus suis natu ma=  
iorem: sed inter septem fratres postremum & minimū:  
psalten

psalten egregium, psallere quidem, & cythara ludere scientē. Missus itaq; est à Deo in Bethleē Samuel, causa fundendi super caput eius olei. Iuit eō Samuel, perquisiuit, inuenitq; uocatum ab agro, & eductum ex ouium pascuis adolescentulum, colore rufum: inunxitq; eū, qui deo placuerat, loco reprobati & abiecti Saulis, in regē. Ab ea ergo die directus est spiritus dei bonus, qui recesserat à Saul, in nouellū regem. Venitq; nouus iste rex ad regem ueterem, & quidem uocatus, ut coram eo psalleret. Et cum Palæstinorum exercitus aduersum Israëlitas infesto agmine in agro sederet: breui iste, in deo confusus, inclytas futurarum uictoriarum suarum primitias dedit in morte uiri spurij, è stirpe gigantum progeniti, nomine Goliad Gethai. Hunc enim, & Israëlitarum castra, insolentibus minis prouocantem, & deum Israël blasphemantem, non tam armis & uiribus humanis præpollens, quàm in nomine domini exercituū ueniens, pedo solo & pastoralis pera succinctus, aggredi ausus est. Et inuito singulari duello, solius iactu fundæ, præcerū, superbumq; uirum in corporis robore armisq; confisum prostrauit, & occidit. In præmium autē eius uictoriæ, gener factus regis, & præfectus belli, omnia exinde tam prouide, & prospere, regni negocia egit (quia dominus erat cum illo) ut uersis in se facile omnium oculis, & dilectione totius plebis comparata, male tandē & oblique sedcret in oculis pauidi Saulis. Cœpit enim ex eo tempo Saulis in Dare timere & cauere Saul eum quem uidit cum propitiū uidem odiū. & secum manentem habere dominum: tum ab omni populo, & proceribus suis diligi & amari. Quapropter

k s accensus

Dauid in regem unctus.

Goliad Gethai à Dauid cæsus.

accensus iniquo liuore zeli sui, simul ue à malo spirita  
 exagitatus, bis uibratu lanceæ configere illum cum pa-  
 riete nisus: cassos ictus, elabente illo impegit in murū.  
 Tandem uero proficiēte in maius odio, etiam nocte oc-  
 cidi illū in stratu suo iussit. Sed nihil aduersum deum, sui  
 prædilecti & futuri regis custodē, illius insidiæ profece-  
 runt. Astu enim & auxilio uxoris Michol, filię Saulis,  
 per fenestrā noctu in sporta dimissus est. Et posita in le-  
 ctulo eius simili illi statua, quæ sub egrotantis specie per-  
 sequentes falleret, euasit Dauid manus Saulis, fugiensq;  
 longius ab eo, in desertis locis, & tutissimis latebris ha-  
 bitauit. Dolensq; Saul effugisse eū, quem perdere statue-  
 rat, ut quem & inuidebat, se derelicto, secum habere do-  
 minum: & pauebat ut regni amulum: collecta militum  
 manu, persequi exinde cœpit dilectum dei in cunctis mil-  
 libus Iuda, in inuijs locis, & altissimis petris, quæ solis  
 ibicibus peruiæ sunt. Sed nō permisit deus reperiri eum,  
 quē tātopere seuius decreuerat hostis perdere. Nec præ-  
 ualuit inuenicus liuor nocere ei, quē diuinæ manus um-  
 bra protexit: quemq; ab eius insidijs, nō semel, sed mul-  
 toties ereptū, sibi ipsi, & futuri regni sceptro seruari  
 uoluit illæsum. Tandē & uitæ impiorū, & persecutioni  
 iustorū positurus finē deus, mucronē eius, qui persequē-  
 batur iustū, in ipsius cōuertit uiscera. Nā amisso aduer-  
 sum Palestinos bello, factū est, ut Saul fato suo, & manu  
 propria cōfossus, in mōte Gelboë caderet: ut qui cū pri-  
 mis agēte animi amaritudine, & hastæ suæ incubuit, &  
 à seruo Amalechita stante super ipsum suffocatus: resi-  
 duā ē uisceribus animā efflauit. Ex his igitur manifestū  
 est,

Persequitur  
Saul Dauidē.

Saulis mors.

est, quatenus per Saulem & Dauid in initio, & in ortu  
 Israëlitici regni, uiguerit diu persecutio, & colluctatio  
 carnis, aduersum spiritum. Et quo etiā pacto, longanimis  
 Deus, ei quidem duello per mortē eius, qui à bonitate, in  
 impietatem: & ab amicitia dei, in iniustam persecutio-  
 nem electorū dei deierat: suam tandē metam posuerit.  
 Et reprobato, amotoq; eo, qui secundum carnem, per  
 tēpus in solio regni sedit: eū, qui secundū cor suū erat, de  
 puluere exaltarit. Post enim innumerabiliū fluctus pertur-  
 bationū, misertus electi sui Deus, eterni regni sceptrum,  
 in manu illius dedit: iurauitq; illi, & semini eius, post eū:  
 Quoniam (ut sacer psalmus canit) futurus esset thronus  
 eius, sicut sol, in conspectu eius, & sicut luna, perfecta  
 in eternum, & testis in coelo fidelis.

#### QV O ADVS QVE PECCATI SPINA

electum dei Dauid pupugerit, & quidnā aduer-  
 sum eum egerit

Cap. XI.

**D**Enarrauimus mysticā carnis & spiritus, mortis  
 & uitæ colluctationē, inter Saul & Dauid: qualis  
 antea uiguit inter Zarā et Phares. In his enim interual-  
 lis, in quibus duorū & duorū cōtra se pugnatiū lineā,  
 ipsa cōcertatio peccati, geminis pūctis ex aduerso, et ē re-  
 gione sui positis distinxit: id quidē qd' secundū hoīem &  
 uolūtātē carnis fuit, uelut in umbra, & in figura præcu-  
 currit, & celeriter pertrāsijt ut summoto ocyus eo qd'  
 repugnabat, aduersabaturq; Deo, stabiliretur, et iuge fie-  
 ret id qd' futurū erat, diuinæ uolūtatis. Trāsijt enim (ue-  
 lut disparēs à uēto nubes) festina carnis rebellio, et irens  
 aī, cōcupiscētia illius. Vt immortalī spiritui, diuina ima-  
 gine



gine presigni: pignus cœlestis uictoriæ linqueretur. Et liceret innocētibus animis, in stabili regie sedis throno, sedere corā deo. Prouecti uero hoc in negotio iā sumus à Saule usq; ad David, electū secūdū cor dei regem. Videamus ergo deinceps, quas mali colluctationes electus dei David, etiā à suis, pertulerit. Quidnā scuitie et rebellionis, insolentia se efferētis peccati, aduersum eum egerit.

Quāquā nō prauauerint scuiētes iniquitatis fluctus, ut solium euerterent, uiri electi à Deo: de quo cāticum istud audimus: Et thronus eius sicut sol in conspectu meo: et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis. Si autem dereliquerint filij eius legem meā, & iudicia mea prophanauerint, uisitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum. Misericordiam autē meam, non auferam ab eo. Et in alio loco dicitur: Sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea. Ibi equidem duplex innuitur flagellum dei: & gemina promittitur castigatio hominum à Deo. Vna quidem castigatio ab amore, quæ est filiorum, qui, iuxta eloquium, in patris sui domo manent in æternum. Reliqua est correptio liuoris, quæ ad seruos fit, qui aliunde empti, uel conducti, in domum adueniunt: nec manent iugiter in ea, Sed cum deliquerint in patrēfamilias, tum asperiore flagello durius cādūt, & eiectione etiam sua, atq; exilio, errata quæq; luunt. Eos enim, quos diligit Deus mitius erudit, & peccantibus electis suis ignoscens, molli filiorum uirga teneriores animos cedit: non illico è domo suæ requiei eijcit errantes: nec misericordiam ab eis suam, uelut seuerus & inexorabilis aufert. Cecidit ergo deus errantem, & ob-

stinatum

stinatū in errore suo Saulem diuiscula uirga seruorū.  
 Cecidit Dauid, humanitus peccantem, & implorantem  
 sui delicti ueniā, uirga & scutica filiorum. Peccauit  
 Dauid in tribus: Primum in Bersabee Vrie, quā sublatā  
 à marito, sibi ipsi copulauit. Peccauit amplius, cum de-  
 inceptis maritum illius Vriam, per manus filiorū Ammon  
 in oppugnatione suæ urbis, blasphemantium deum, neci  
 tradi iussit, ut ipsius stuprū tegetetur. Peccauit rursum  
 & in ea extollentia animi, qua iubens numerari popu-  
 lum, cum gloriari in subditæ plebis multitudine, tum cri-  
 stas erigere aduersum Deum uisus est. Missus est ergo  
 utrobique propheta ad eum, qui peccata illius argueret.  
 Nathan quidem, primus aduenit, & constuprationem  
 alienæ uxoris, cum perpetratione homicidij, & hostili  
 blasphemia in uerbo dei reprehēdit. Et tamen in fine uer-  
 ba spei, diuinæque consequendæ ueniæ adiecit, cum dixit:  
 Non morieris, inquit: dominus enim trāstulit peccatum  
 tuum. Gad secundus ad eum missus est, qui ubi superbiam  
 illius à superflua populi dinumeratione increpauit: sub-  
 inde in peccati sui expiationem, trifariæ multæ obtulit  
 illi optionem: petens quidē, iussus à Deo, ut quam uellet  
 è tribus, mox diuinam super se, ob reatum suum, ultionē  
 deligeret. Purgauit ergo stuprum illius deus, & annexū  
 stupro homicidium, in duobus: In morte infantis filij è  
 stupro nati: Et in diuisione filij sui Absalon, qui uniuer-  
 sum populum in patrem cupidus regnandi commouit, &  
 facta aduersum eum grandi commotione, se regem decla-  
 rauit. Atque ubi patrem è sua sede & regno depulit, etiā  
 consensu illius thoro, eius cubile maculauit. Sed non  
 præ

Tria Dauid  
 dis peccata  
 insignia.

Nathan.

Gad.

Absalon.

Achitofel.

præualuit diu aduersum deū insolens carnis studiū. Con-  
 siliarius quippe eius, nomine Achitofel, dolens nō esse fa-  
 ctum cōsiliū suū de opprimendo rege Dauid, laqueo  
 se suspendit. Et tandē populari fāctione, nō iure, electus  
 rex, in tumultu belli sub arbore trāsiens, à furcatis illius  
 ramis, coma nimīū promissa pepēdit. Ibiq; tribus lāceis,  
 à Ioab, duce Dauidicæ militiæ cōfossus, sua morte illatū  
 iniuste patri bellū sedauit. Hac ergo abiectione sua è re-  
 gno, & breui exilio suo, pertulit peccati sui multā Da-  
 uid, quod in raptu Bersabee, in nece Vriæ, & in hostiū  
 blasphemia perpetrarat. Purgauit postremo extolentiā  
 electi sui deus ense percutientis angeli. Obtulerat enim  
 Gad propheta illi aut triū annorū famem, aut trium mē-  
 sium bellum, aut pestē triduanā. Vbiq; grauis & amara  
 nimis ultio offēse apparuit, quæ in mysterio ternarij  
 prophetica uoce oblata, lapsum regem, corde mitem, ni-  
 mirum deterruit. Sed coartatus nimis, maluit tandem ele-  
 ctus Dei incidere in propitiabiles manus Dei, quàm dari  
 in inclementes manus hominum. Et prælegit breuiore  
 spatio, quàm diuturnioris temporis multā à deo scelex-  
 rum ultore plecti. Egit ergo Deus cum electo suo iuxta  
 ipsius optionē: Et parcens trium annorum fami, & bel-  
 lo trimestri, gladium triduanæ pestis immisit: quæ, ange-  
 lo populum ab alto cedente, septuaginta è populo milia  
 à triduanæ pestilētiae clade cōciderunt. Sed tandem Da-  
 uid, uiso in sublimi æthere percussore angelo, cum petij-  
 set, agnitor culpæ suæ insoniti populo ignosci, & diuini  
 gladij mucronem conuerti in se peccatorem, facile iram  
 Dei in sui miserationē mitigauit, Veniens igitur rursum  
 Gad

Gad propheta ad eum, missus à Deo iussit, ut in loco, in quo, percutientem Angelū uiderat, in area Hornā Iebu sei, extructa ara, Deo immolaret. Quod cum perfecisset Dauid, remissus in uaginam suam gladius seuiantis iræ Dei triduane pesti finē dedit. Et reddita innocenti populo pace, electus dei Dauid residuos uitæ suæ annos in pace transegit, quoadusq; felici periodo, soluta carne eius anima, fessum sui corporis circinum, à latiore mundi ambitu compressit.

DE INSIGNIBVS, AB INITIO  
mundi nouitatibus

Cap. XII.

**T**Ranſeamus à Dauid bellicoſo rege functo, & in pace ſepulto, ad filium eius Salomonem: cum amabilem Deo & pacificum regē, tum ſapientia præ omnibus inſignem, immoremurq; parumper in eo: Et quidem merito id fecerimus, ob memorabilem, quæ ſub eo facta eſt, rerum nouitatem: qua ædificatio templi toto orbe ſamoſi miro ſumptu perfectæ, inter orbis miracula iuſte numerari potuit. Non eſt autem iſtic quidem nobis intentio per reges ſingulos excurrendi, & acta, geſtæ ue eorum recensendi: quam rem in alio opere perfecimus: Sed per tranſitum duntaxat his in punctis, & in perſonis immorari nos decet, in quibus uel ab initio mundi, uel ab exordio ueteris teſtamenti, in peregrinatione Iſraëlitici populi, celebris aliqua & memoratu digna temporum nouitas effuſit. Prima igitur mundi memorabilis nouitas, ſicut diximus, in Adam parente primo reſplenduit; qua cum mundi totius origine huma-

Adam.

NUM

- Noa. num quoq; genus initium sumpsit essendi. In Noa diluuiū inundauit. In quo ideo numeramus expiationē quam primi mali, & innouationem siue instaurationē hominum. In Abraam fidei parente cum circumcisionis, tum diuini pacti obtigit exordiū. In Isaac factus est delectus legitimi hæredis nati de libera, et reprobatio ei=
- Abraam.  
Isaac.
- Iacob. ciendi filij nati de ancilla. In Iacob speculamur delectū mitissimi spiritus: & reprobationem hirsutæ primogenitæq; carnis: Item & peregrinationem patrum in terrā non suam: In terram inquam seruitutis, & probationis cordium eorum: quæ licet in tenebris idolorum uiuerent obliuisci tamē Dei sui nequiuerunt. In Moyse: quem obiter & celeri calamo currentes prætermisimus, admiramur initium legis, & auspiciū apparentis uisionis diuinæ, simulq; receptionem spiritus, & originem prophetiæ.
- Moses.
- Aaron. In Aaron cernere decet originem summi sacerdotij, qd datum est à Deo illi & filiis eius usq; in sempiternum.
- Iosue. In Iosue reminisci operæ precij est, ingressum fuisse populum in terram promissionis, percepisseq; in ea temporariam, seu perfunctoriam hereditatem, mansionis à Deo patribus eorum promissæ. In Saule cogitamus reprobationem & abiectionem temporarij regis non obedientis, nec placentis Deo: sed desiderio subditi populi
- Saul.
- Dauid. potius quam dei mandato obedientis. In Dauid, nuper à nobis exacto, facta est commutatio regni à tempore in æternitatem, Cum data est eiusmodi electo Dei largitio sceptri non deinceps auferendi, nec ullo tempore soluēdi. In Salomone exorta est nouitas edificationis templi, in quo quiesceret arca dei: quæ ad id temporis sub pelli
- Salomon.
- bis

bus in populo, uelut peregrina, non habitauerat in domo. Cogitauit quidem Dauid, nacta à bellis requie, et uoluit edificare templum dei, præparauitq; ad id largatè manubijs hostium impensas, et materiam omnem. Sed alti deus consilij tantam rē differri maluit à patre in filium. Noluit enim deus pacis id operis à bellicoso rege adimpleri, utpote inquinatas plurimo hominum cruore manus habēte. Illicitum ducens, à bellaci homine extrui sibi sacræ et pacificæ orationis domum. In qua illicitū etiam est audiri, et perstreperere clamores bellorum, et fundi sanguinem hominum. Suscitauit ergo deus post asuetū bellis et triumphis regem, filium eius Salomonē, uirum pacis, amabilem sibi: quem cum repleuisset spiritu sapientiæ, spiritu consilij et intellectus, etiam et pacē per gyrum illi dedit, et summam diuitiarum opulentiā, ut edificaret sibi domum, non quamlibet, sed insignem, et in uniuerso orbe percelebrem. In quo quidem, pro sanguine hominum, funderetur copiosus sanguis animalium. Et pro clangore et strepitu bellorum, perstreperent gratæ deo sacræ tubæ sacerdotum, deum alta uoce laudantium. Et pro clamore litigantium, audiretur sub silentio, et uoce summissa, sacrum murmur manantium è corde orationū, odori thuris et suauissimi incensi speciem coram deo præbentium. Hanc equidem dissimilitudinem habet domus dei (quæ iuxta eloquium, domus orationis est) à domo principis terreni, ut strepitus litigantium, in pacem et concordiam demutat: clamoresq; tumultuantis populi in silentium unius traducens, eos compeecat, Et à multitudine negotiorum, in sacrū orationis

l      et lau

et laudis incensum, cilia attollat. Iure igitur et prorsus diuinitus id obtigisse uidetur, ut sicut templū dei, quies, pacis, orationis, et laudis domus appellatur: ita et à uiro nimirū sacris his donis cōsentaneo, id est bellorū nescio, pacifico, quieto, et cūctis hominibus sapiētiore, iuxta dei prouidentiam id strueretur.

# INTER DAVID ET SALOMO-

nem, aliquo pacto uices enituisse corporis et animæ.

Cap. XIII.

**R**euertemur adhuc pauxillum ad David: stabimusque nunc in cōparatione patris et filij: amborū quidem regum, sed uaria quadam similitudine corporis et animæ se habentium. Nimirum enim bellator David, ob ea quæ gessit prælia, præcurrentis speciem, et similitudinem corporis habuit, qui de filio suo Salomone dixit: Salomon filius meus puer est tenellus et delicatus, Ego præparabo ei impensas. Tria præsertim hic sunt animaduertenda, in quibus David præuij corporis omen et officium gesserit: primum in debellatione hostium: qua non modo in populo suo strennue se habuit, sed etiam in uicinorum nationum subnervatione, sibi et filio suo regnum, quietem, et pacem quesiiuit. Deinde in oppugnatione urbis Hierusalem, quæ ante ipsum dicta

Iebus Dauidi nomine Iebus, Iebuseorum caput erat, et necdum cepugmata. Ierat in possessionem Israëlitarum. Cepit enim David Iebusei. eam, instaurauitque muros eius, et arcem in uicino monte Sion extruxit, quæ exinde dicta est domus et arx David. Postremo in præparatione materiæ edificando templo necessariæ. Contudit enim David (auxilio se iuantis

uantis dei felix) capita uicinarum gentium, urbem metropolim cepit, diuinæ requiei deputandam, quam ad id temporis incircūcisi Iebusei incoluerant. Cæcosq; in super & claudos, odientes animā Dauid, perpetuo exilio depulit prorsus ex ea: sanciens quidem, decernensq; lege, ne in posterū maledici & rebelles, cæci, & claudi ingrederentur templum domini. Et de manubijs & ingentibus prædis uicinarum quas deuicit nationum: imensa, struendo templo, ferri, æris, argenti, & auri pondera, diuersamq; materiam congeßit, ut filio Salomoni, delicato & tenello, nihil iam aliud superesset operæ & laboris, quàm præparatæ materiæ impensam in suam adaptare formam: Et structam subinde formosam templi speciem sacris immolationibus, hymnis, orationibus, & laudibus, dicare altissimo deo. Quod quidem post patrem Salomon filius perfecit: ut qui formam, spiritum, & animam, ei corpori dedit, cuius partes patris prouidentia, & sollicitudo ipsi præpararat. Quæ propter in initio regni Hebræorum accidit istud quidē mysterij, ut in eius uiri semine, qui placuit deo, nimirū in patre & filio, corporis & animæ uices enituerint. In patre siquidē typus corporis emicuit: In filio animæ similitudo refulsit. Patri fortitudinē, uictoriā, & inclytū ex hostibus triumphū deus concessit: Filio sapientiam, animi tranquillitatem, pacē in circuitu nationum, diuitiarū abundantiam, & gloriam, qualem non habuere nec qui ante eum fuere, nec qui post eum surrexere. Ergo tanquàm id prouidentia, fieret in unius hominis compagine: & in eiusdem prorsus substantia personæ, expressit.



ibi deus typum corporis & animæ, dum delectos à se primos sui populi reges his proprietatibus mystice distingui uoluit: sanciens quidem, ut eorum unus corpori regie, & sanctæ urbis præesset: Alter eius animæ, & sp̃i ritui, & ceremonijs, rebusq; diuino cultui necessarijs incumberet.

# DE MALI LVCTAMINE,

aduersum Salomonem: ab Adonia, cu=

pido regnandi.

Cap. XIII.

**S**Tandum adhuc nobis parumper est in Salomone, ut Suideamus, scrutemur ue, nullum ne peccati, & mali conflictum pertulerit aduersum se. Quia enim hic unus ab eximio dei dono pacificus rex fuit, & sapientia dei plenus: suspicabitur forte quidam immunem fuisse eum à conflictatione & obluetamine mali. Dauid quidē, eius pater, quatuor insultus pertulit malicie. Nempe longā cumprimis à Saule persecutionem, usq; ad mortem Saulis. Deinde rex factus, crebra hostiū bella sustinuit: quæ tamen auxiliante deo deuicit. Hinc ab Absalone filio, diuisionem & regni eiectionem perpeffus est: licet paucorum dierum. Postremo à Satana nequicia in pessimā eius extollentiæ suggestionē incidit: qua temere iusso numerari populo, strinxit in populum insontem gladium percutientis angeli. Sicut scriptum est: Consiarexit autem Satan aduersum Dauid, ut diceret ad Iob, uade & numera populum à Dan, usq; ad Bersabee. Hi enim, erant duo fines regni eius. Has quatuor pertulit Dauid ab insolentia mali aduersum se colluctationes. Salomon autem filius eius, uidetur quidem fortasse (quia pacificus fuit

Quatuor Dauidis persecutiones.

I. Par. 21  
Dan. & Bersabee fines regni Dauidis.

fuit rex, & nullus aduersus eum, quamdiu uixit, deo pacem largiente, mutire ausus est) perpeffus fuisse collationem mali nullam. Sed tamen si altius inspexerimus omnia, inueniemus in initio sui regni pertuliffe eum molestiam à malo unam, Et quidem satis insignē, ut ea etiā Salomonis psecutiones. Adonias.   
 Adonias enim frater eius maior, auidus regnandi, duellum in eum concitauit. Amnon primogenitus filiorum Dauid, & Absalon natu secundus, cæsi iam sinistro fato suo erant. Adonias tertius, id est secundus natu post Absalon, qui & ipse pulcher erat, & filius Agith patre iam senio graescente, eleuari corde coepit, ac dicere, Ego regnabo. Mactauit arietes & pingua: grande cõuiuium celebrauit, quasi regis. Inuitauit uniuersos fratres suos filios regis, necnon & Ioab ducē exercitus, & Abiathar sacerdotem. Vnicum uero è filijs regis Salomonē & Banaïam Ioiadæ filiū, ducem roboris Dauid, & Sadoch sacerdotem, & Nathan prophetam, non inuitauit. Et cum uniuersi in eo conuiuium inuitati, corde inter epulas iocundi letarentur, ederentq; & biberent, ac proclamarēt Adoniæ letum melos, uiuat rex: uersa est repente tanta conuiuuarum, sine deo letantium, exultatio in luctum & in amaritudinem. Sicut enim ex uniuersis filijs Isai is solus, qui aberat domo, qui custodiendis ouibus incumbibat, sacri olei unctionē in futuri regni spem manu Samuelis percepit: ita & actum mox à prouidentia dei est, ut è cunctis regijs liberis, quos numero quinquagenos genuerat, eius unius fieret uoluntate dei & patris regnum Israël: qui solus ei conuiuium nō inuitatus defuit, id est Salomonis. Noluit profecto deus

Osee 8

hunc unum interesse stultæ, & præcoci nimis eorum læ-  
titia: de quibus scriptum est: *Ipsi regnauerūt, & nō ex*  
*me. Dissipatum est ergo diuinitus, conuiuium Adoniæ.*  
*Omnes quidē qui consenserant Absaloni aduersum Da-*  
*uid: qui impias erexerunt manus, tuleruntq; arma ad-*  
*uersum electum dei: cæso Absalone, sceleratæ diuisionis*  
*autore, nutu dei dispersi sunt: & pauesfacti, uelut mor-*  
*te sibi imminente, in sua singuli abierunt. Ita & omnes*  
*qui in conuiuio discubuerant Adoniæ: audito delectu*  
*ueri & pacifici regis, & unanimi uoce, conclaman-*  
*tium post eum, uiuat rex: exterriti mox singuli fuge-*  
*runt. Id ergo iudicium est, haud posse robur mali diu*  
*in se consistere, & stare aduersum boni firmitatem. Ob-*  
*luctatio quidem & pugna mali stat interim & perse-*  
*uerat aliquandiu, Sed tamen cum super infidas, & mol-*  
*les arenas inualidum maliciæ robur castrametetur: ac-*  
*cidit in fine ut illius tabernacula per seipsa ruant: &*  
*firmutati boni, constantiaq; uirtutis cedant. Conuiuium*  
*Adoniæ, quod hominum, non dei uoluntate: unius ho-*  
*ræ regnum, in prætereunte carnis exultatione adpara-*  
*uit: diuinæ cessit uoluntati. Et perfracta est debilis arun-*  
*do hominum à solido robore, & firmissimo baculo dei:*  
*exemplum præbens, ut qui in illius fragilitate confisi,*  
*inniti illi audent, perfractio eo in terram è uestigio ca-*  
*dant. Et elusi spe sua, duriterq; collisi, casum sero suum*  
*lugubri planctu deplorent. Qui uero ab huius sulci-*  
*mine uestigia regunt, solidi stent, & lubricum exitialis*  
*ruinæ nihilum formident. In fabulam ergo, in prouer-*  
*bium, & in ludibrium ulgi uenit conuiualis genius,*  
& breuis

et brevis exultatio Adoniæ: qui infelici casu suo, paucorum dierum luctamen, et breue mali duellum aduersum amabilem dei finiuit. Sicut enim uirga Moysi uirtute dei uersa in colubrum, deuorauit uirgam magorū, uersam identidē magicæ artis præstigio in colubri specie: ita et zelo dei, et ab igne uindictis bonitatis, deuoranda tandem est seges zizaniorum, et succidenda uniuersa mali bonum oppugnantis lues. Sed iam de Salomonis successu, deq; infauusta Adoniæ eleuatione, quæ modici temporis diuisionem aduersum eum concitauit, dicere desinamus: ut aliò mox, quò iacta huius operis alea uocat, progrediamur.

DE DIVISIONE REGNI ISRAELITARUM, in regnum Israël, et Iuda, quam peperit peccatum Salomonis.

Cap. XV.

**D**ormiuit autem Salomon, cum patribus suis, et ingressus uiam uniuersæ terræ, sepultus est in mausæolis regum. Reliquit uero post se filiū Roboam, uirum admodum rudem, et corde tam pauido, quàm corpore crasso, et uiribus robusto. Et usquequoque adeo immutatum à prudentia: in quantum, in corde patris Salomonis, inundauerat data illi à deo sapientiæ magnitudo. Accidit equidem nō admodum raro istud in hominibus, scilicet ut illustrissimorum uirorum aut filij interim sint nulli, aut hi, statim sicut ab animi magnitudine enerues, ita et unā à patrum suorum dignitate sint degeneres. Idq; tam in bellicæ uirtutis ingenuitate, quàm in claritudine sapiētiæ. Et quanquam in prophetis scriptū est:

n. 4 Non

Ezech. 18 Non morientur pro patribus filij, nec pro filijs parētes:  
 Deut. 24 sed unusquisq; in peccato suo morietur: Et quilibet onus  
 suū portabit: Attamen istiusmodi legis cautio hic uelut  
 prominenti scopulo allisa, immutationem quandam sui  
 dictaminis accepit. Nam delictum patris sui Salomonis,  
 & iustam ultionē offēsi dei, Roboam filius eius iuxta  
 uerbum Ahie Silonitis luit: dū diuisionem regni sui, &  
 defectionem decem Isrāeliticarum tribuum, non sua, sed  
 patris iniquitas illi peperit: inciditq; mœstus in scrobem  
 alterius: id est in eam, quā paterna macula illi fodit. In-  
 clinauerat enim Salomon femora sua mulieribus concu-  
 binis, alienigenarum filiabus, quæ in simulachris gentiū  
 seduxerunt eum: peruerteruntq; cor eius, iam senis, &  
 etate grandæui. Oblitus (mirum id fuit) in senectute sua  
 uiuētis & altissimi dei, qui apparuerat ei bis: cōmutauit  
 gloriam eius in sculptile, adorauitq; (nephas) deos mu-  
 lierum meretricum, quas infatuato amore ipse, licet præ-  
 cunctis mortalibus sapiens, dilexerat: Extruensq; illis si-  
 mulachra, altaria, & idola: cōcitauit nimirum hoc scele-  
 re iustam in se, uel in semen suum post se, dei, licet lon-  
 ganimis & clementissimi, iram: & comitem quoq; iræ  
 uindictam. Offensus ergo deus, qui post geminam appa-  
 ritionē contulerat tam ingens sapiētiae munus: tantamq;  
 diuitiarū gloriam, necnon & pacem per gyrum natio-  
 num, prouidit sibi aliunde aduersum eum regni æmulū,  
 nomine Hieroboam: prædixitq; in manu Ahie Silonitis  
 diuidendum scindendumq; fore regnum Salomonis: Ve-  
 runtamen non in diebus eius, propter Dauid patrem  
 suum: sed in diebus filij eius comminatus est se facturum  
 uerbum

Salomonis præ-  
 uaricatio, & ido-  
 lolatria.

uerbum istud. Differtur itaq; hic ira Dei, non ob Salomonem, quanquam repentina fortè multa, & propera ultione dignū: sed ob probitatem & fidem patris sui Dauid: qui quia Deo acceptissimus fuit, & simplici corde coram eo ambulauit, tanti fuit sacra illius recordatio & memoria apud deum: ut hæc facile Dei, quippe longamini, seueritatem flexerit, & iræ eius dilationem à filio in filium prorogarit. Pœnitens est enim deus, & dolens super maliciam hominum. Quapropter nec propera, nec concita, sed sera illius est in hominum peccatis excandescit: transferens quidem ultionis & mali flagellum à patre in filium, uel in filios usq; in quartam generationem. Humiliatus est quondam Achab rex Israël coram Deo, in uerbo se corripiētis Helie. Et in cordis attritione, depositis gloriæ suæ indumētis, indutus est sacco: Et statim pœnituit Deum asperioris uerbi, quod locutus fuerat super eum, dixitq; uelut iam propitiū ad Heliam, Nonne uidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum Domui eius in diebus eius. Sed in diebus filij eius. Pœnitentia hæc, licet tam breuis & modica, tanti tamen ponderis in oculis mitissimi dei fuit, ut illico hanc dilationem mali impetrauerit à Deo. Ezechias rex Iuda nō absimile comminationis uerbū ab Esaia audiuit. Quoniam inquam, transferēda erāt omnia quæ cōgeßisset ipse & patres eius in Babylonem, ueruntamen non mox, nec in diebus eius id fieret, sed in diebus filiorum eius isti usinodi comminatorium Dei uerbum impleretur. Qui letatus quidē, quam etiam dolens in uerbo prophetæ: quia sibi uni,

Achab rex  
Israël.

Ezechias  
rex Iuda.

1 5 quoad

quoad uiueret à Dei clementia parceretur. Respondit, bonum uerbum quod locutus est dominus, fiat tantum pax & ueritas in diebus meis. Amat enim & optat malum quidem nemo. Sed tamen cum deuitari illud nequit, cum inter angustias incidere in retia eius ipsa necessitudo perurget, mauult certe quilibet, & praeparat, uel minore malo puniri: uel id, quodcunq; accidere necessum est, longius à se excuti. Et uel in hostes, uel premente aliqui necessitudine, etiam in filios à dei bonitate differri, quàm se propterea illius ultione plecti. Niniuite in predicatione Iona prophetae, poenitentiam coram Deo in cinere & cilicio egere. Et tanti quoq; mali, quod eis ex dei comminatione imminabat, id est subuersionis urbis suae, dilatione ab illius longanimitate impetrarunt. Hac ergo lege & consuetudine, diuinae semper expeditae propitiationis, dilata est ultio delictorum Salomonis, in filium eius Roboam. Nam uoluntate actum est Dei, ut Roboam defuncto patre, & congregato omni Israël, ut stabiliret in eis regnum suum, dereliqueret utile senum consilium, & credens stolido, & immaturo iuuenum consilio, causam praeberet rebellionis, & diuisionis regni patrum suorum. Decem enim tribus offensa duro nimis & immoti ipsius responsio, secesserunt unanimes ab eo, creaueruntq; super se, regem Hieroboam, uirum fortem, & potentem, praefectum tributorum domus Ioseph. Qui uelut stultitia gentis, & nephariae fornicationis autor, loco unius aurei uituli, quae consueuerant dudum filij Israël sub Aaron sacerdote in deserto, scelestius egit, defectionisq; & perfidiae numerum auxit; dum uitulos duos aureos consueuit, quos statuens in sinibus

Niniuite.

Salomonis regnum diuisum.

Hieroboam rex Israël.

nibus regni sui, in Bersabee, & in Dan. Et pro dijs eos ab Israël colu iubens, rudem populum à templo, & cultu ueri dei segregauit. Sacerdotes quoq; suo ipse iure cōfecit, qui ritu gentiliū aureis eiusmodi uitulis immolarēt. Sola superfuit tribus Iuda, cū uicina tribu Benjamin, quæ secuta domū Dauid, in prisci regni sui cōcordia, in tēpli honore, & in diuini cultus unitate stetit. Peccatum equidem omne: Diuisio quædam est, & segregatio à Deo. Quamobrē egit nimirū istic sua ratione, & ex natura sua peccatū, fecitq; ut diuisio diuisionē pareret, & dyas, dyadē. Nam Salomonis delictum aggrauans iugū oneris sui, super Roboā eius filium totius Israëliti regni, qd' prius unum fuit, integritatem scidit, ex uno quidē faciēs regno, duo regna: & ex monade, dyadē. Magna profecto & inscrutabilia sunt cōsilia dei. Si enim nihil incommodi istud habet: interim quidem à malo nonnihil boni exoriri: placuit forte Deo, in populo suo, antea concordī & unanimi, accidere & gigni istiusmodi diuisionem, ac dyadem, ut è regione & circūstantia aduersantis inimicæ dyadis, enixius stringeretur, fieretq; fortius uinculū superātis monadis, in tribu residua & electa. Cum enim sub coelo expers litis ac pugne sit nihil: etiam decuit, ut appareret cōflictus peccati, inter scissa ac separata populi unius, electi à deo, membra. Et periculū fieret, quenā pars & portio illius peramplius hæreret Deo, Et quæ è diuerso à ueri Dei cultu secedens, in idola gentiū deflueret. In mysterio quidem istud accidit, ut ueteri cōflictationi peccati, quæ erat inter gentes & populum Israël, haud deesset etiam locus in ipsis uisceribus

&



et præcordijs populi unius et eiusdem, à Deo in unius  
uersorum salutem præelecti.

# DIVISIO REGNI QVAE FACTA

est inter Israël et Iudam, typum gessit eius di-  
uisionis quæ ab initio fuit inter gētes,

et populum Israël. Ca. XVI.

**O**Rta est ergo sub Roboam cum Dei uoluntate, tum  
alieni peccati, uelut paternæ labis ultione, diuisio  
regni in populo Dei: ut per eius dyadis scissuram etiam  
in ipsa dei hæreditate solita peccati uis appareret. Et ob-  
tineret orta à malo iniquitas nõnihil iuris, coeptam ab ini-  
tuo, sui conflictus pugnam excitandi: Et ut impleretur  
etiã in ipso dei populo ueritas et efficacia istius sacri elo-  
quij, Hæ inquam sunt gētes, quas dereliquit Deus, ut eru-  
diret in eis Israël. Noluit quidem deus mox ab egres-  
su Aegypti, uel ab introductione suæ plebis in terrã Cha-  
naneorum disperdere et euellere uniuersas gentes, et  
inimicas nationes à facie Israëlitarũ. Sed in circuitu eo-  
rum, atq; etiam intra fines et limites possessionis eorũ  
complures è gentibus superstites fieri permisit. Prospici-  
ens enim, pacem bello interim perniciosiorem esse: Et  
generosos quinetiam animos, in pacis quietudine, à flu-  
xis uoluptatum illecebris persæpe dissolui, et à sua ipso-  
rum constantia, per ignauiam suam detrudi: Sciens insu-  
per Israëlẽ duræ esse, et arcæ ceruicis, medelam hanc  
huic malo prouidit, dum uirgam uicinarum gentium hu-  
meris ac iugo pronæ in malum plebis admouit: ut prola-  
bentes à cultu suo eos quos elegerat, aliena manu cede-  
ret:

ret: & in unitate sui cultus deuiantes ab axe suo sistere-  
 ret. Quam ergo scissuram & pugnam forinsecus liquit  
 Deus ab initio inter Israëlitas & gentes, hanc etiā tan-  
 dem, ingredi permisit in uiscera populi sui: uolens quidē  
 ut pars una esset uelut uirga et scutica alterius: Et præ-  
 sertim id illius prouidentia egit, ob electam tribū Iuda,  
 quam quidem olim prædestinauit & selegit apud se, cum  
 in æterni regni solium, tum in natiuitatē eius, qui in no-  
 uissimis diebus, inuisas peccati radices prorsus euelleret.  
 Hanc enim tribum ideo in manu & oppressione cætera-  
 rum tribuum castigari uoluit, ut tanto sibi propiorē &  
 dilectiorem eam efficeret, quanto hæc sui mali poenas nō  
 modo ab alienigenis, sed à fratribus etiam suis illico lue-  
 ret. Quamobrem scissura hæc & diuisio Israëlitarū typū  
 gessit generatim Hebræorum & gentium. Pars quidem  
 maior, ut decem tribuum fuit, ita & sufficientis conie-  
 cturæ ratio fert, illam quidem æmulam fuisse gentium se-  
 paratarum prorsus à Deo. Pars minor licet unius quidē  
 solius residuæ tribus globū congeßerit: quia tamen per-  
 amplius dilecta & segregata à deo in medelam toti hu-  
 mano generi in fine tribuendam, non ab re hæc typū to-  
 tius electi populi distincti à gentibus seruauit. Vnitas  
 quidem fortior est multitudine, & propior est deo mo-  
 nas, dyade. Et cum collecta uirtus robustior sit dispersa  
 separataq; uirtute & longe uegetior, hinc etiam facilius  
 factu fuit, plures quidem tribus quàm unā prolabi à cul-  
 tu dei. Et leuioris operæ eas nimirū quæ similitudinem  
 gentium habuerunt claudicare in partes duas, imò pror-  
 sus separari à Deo uero, & labi in idola gentiū, quàm  
 eam

cam tribum quæ dilecti & electi populi gessit insignia.  
 Innuunt enim satis distinctionem istam sacra eloquia. Cū  
 in regū libris creberrima metio fiat & adhortatio istius  
 modi: Nolite ambulare per uias regum Israël. Et rursum  
 in Amasia rege Iuda: hæc sunt uerba prophetae ad eum  
 loquentis: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israël,  
 Non est enim Deus cum Ephraim. Et iterū, de Achab:  
 Cum ad Iosaphat ueniens propheta, arguit palam eum,  
 eo quod præberet auxiliū regi Achab. Dictū est enim ei à  
 propheta: Impio præbes auxilium: Et quidem iram Dei  
 merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te. Et rursum:  
 Propterea cōfractæ sunt naues tuæ ne irēt in Asiongab-  
 ber. Ecce ibi rex Iuda licet bonus quidem coram Deo,  
 & inclytus ualde: tamen in detrimento & confractio-  
 ne nauium suarum ultionem Dei perpeffus est, quia cum  
 impio Achab rege Israël foedus & amicitiam iniit, &  
 ei auxilium præbuit. Diuisio igitur regnorum in popu-  
 lo Dei id mysterij habuit, ut partem quidem unam pinxe-  
 rit in bonum, & reliquam in mali specimen expresserit.  
 Vnam in typo electionis seruauit, reliquam in similitu-  
 dine gentium & uicinarum nationum, à cætera disclu-  
 serit. Hoc enim fieri præordinauit Deus: ut in partis  
 deterioris uirgula melioris partis expiaret onera. Ma-  
 lum etenim quanquam malum est, ad id tamen interim  
 illius obex utilis est, ac prodest: ut ab ipsius iuxta posi-  
 tione & uicinia amplior timor & utilis formido inhæ-  
 reat ipsi bono: Ne suapte fragilitate, & licentiore funi-  
 culo bonum ipsum à seipso concidens degeneret in exi-  
 talem mali luem.

Excursio

DE CONC. ET AREA PEC. 175  
EXCURSIO BREVIS, PER REGES

Iuda: regno eorum, assidue in deterius proficiente.

Cap. XVII.

**E**Xcurrendum iam propero saltu nobis à Roboam, & ab exorta sub eo diuisione totius regni, per succedentium interualla regum, ut celerius ab ipsis ad desolationē regni utriusq; Hebraici, & præsertim ad euerisionem urbis Hierosolymæ, ad exustionem templi, & Babylonica captiuitatis transmigrationem deuehamur. Ibi enim manifestum est in magno aduersum bonum conflictu, peccatum quascūq; habuit explicuisse uires, è quibus ingens & lata succreuerit mali et mortis area. Diximus iam in ipsa diuisione regnorum totius Israëlitiçi populi, qui quidem totus ab initio cesserat in partem & in electionem Dei, id quidem obtigisse, ut quasi pars una esset Dei, altera non Dei. Id est ut pars una staret in sorte electionis, & typum generet electi populi: pars uero reliqua: uelut fornicatrix à Deo, & recumbens in idolo, similitudinem obiret eiectionis & in typum transfret inimicarum gentium. Et ut in manu & uirga unius reliquam castigaret deus. Quemadmodum & ab initio in uirga circumstantium nationum, quas dereliquit Deus circa Israëlēm, castiganda & expianda decreuit totius populi sui uicia atque delicta. Ergo pars quidem una mox in ipso initio diuisionis suæ defecit à Deo, defluxitq; in similitudinem idoli per cultum aureorum uitulorum. Reliqua & electior pars per amplius adhæsit cultui Dei sui: cui per ministeria legitimorum sacerdotum è tribu Leui & è se-

mine

mine Aaron, in loco quem elegerat deus, & in ipso sacrosactæ selectæ urbis altari iustis sacrificijs & ceremonijs inseruiuit. Attamen cum nihil sub cœlo sit exors pugne, cum nihil sit immune à radicibus & propaginibus mali, & peccati, etiam ipsum quoq; malum & peccatū suas usque adeo vires adauxit, & inuisas radices dilatauit: ut in electa nicholiminus populi parte uiguerit ac sederit. Nam si in regibus, si in sacerdotibus & in prophetis exitiales mali palmites floruerunt, & sata in eis iniquitatis germina, urendam zizaniarum segetem pepererunt: quantomagis rudem & ignorantem populum alga pullulantis malicie seduxit, separauitq; à deo. Hinc enim factum est, ut de regibus Iuda, in quorum nunc mentione uersantur dudū hæc scriptura nobis à sapiēte prolata insonuerit. Præter Dauid, Ezechiam & Iosiam, omnes reges peccauerunt. Nam transgressi sunt legem altissimi reges Iuda. Audimus etiam in distinctione bonitatis & malicie regum frequenter & istud à scriptura recitari: Cum de nonnullis dicitur: Et fecit inquit, quod bonū & rectum est coram domino, ambulauitq; in uijs patris sui. De quibusdam uero, ambulauitq; & fecit quod bonum est coram Deo: ueruntamen non in corde perfecto, neq; sicut Dauid, pater eius. Et de alijs etiam scribitur: fecitq; malum coram domino, ambulauitq; per uias regum Israël. Ecce ibi equidem uia regū Israël peruerse, iniquæ, & separate è Deo insimulantur: per quas tamen nonnulli regum Iuda, quippe affines regum Samarie, incessisse arguuntur. Nā sicut ingressum est ab initio malum gentium, & lues circumstantium nationum,

in

in ipsum populū dei, qui adorauit & excoluit idola earum, ita & intrauit etiam peccatū Israël in electam tribum Iuda. Et peccatū Samariæ incubuit super Iudam & Hierusalem. Tres duntaxat Iudeorum reges eximit uox & scriptura sapientis à peccato: scilicet Dauid, Ezechias, & Iosias: qui tamen & ipsi suo peccato & malo non caruerunt. Dauid, adhuc uiuens pertulit multam & ultionem eius peccati sui, quo iussit per manus filiorum Amnon occidi Vriam, ut surriperet sibi ipsi uxore illius. Et eius etiam sui delicti poenas in strage populi, à percutiente angelo cæsi, luit: quo postea mente elatus iussit subditum sibi numerari populum. Ezechias quia non abstulerat excelsa, & adhuc populus sub eo immolabat in excelsis, egrotauit usq; ad mortem. Et audiuit à deo ex ore propheta: dispone domui tue, quia morieris tu, & non uiues. Et rursum, posteaquam breui oratione sua, & fufis lachrymis impetrauit, à deo protelationem uite sue in annos quindecim, & integre à morbo suo conualuit. Iterū in legatione & susceptione munerum regis Babylonis dereliquit eum deus. Et eleuatū est cor eius, dum uelut in substantia opum suarum confusus, omnia eis ostendit, quæ in domo ipsius erant, quæ thesaurizauerant patres sui: audiuitq; rursum ipse ex ore cōminantis propheta, in ultionem eius delicti sui, id est eleuationis animi: omnia quæ ipsius erant, & filios quoq; eius, traducenda tandem fore in Babylonem. Veruntamen non in diebus eius, sed in diebus filiorum eius uerbum istud, fore implendum à deo. Iosias quoque ex optimis regibus unus, q̄ adhuc puer, requisit totom corde

Dauid.

Ezechias.

Iosias.

m corde

corde deum patrum suorum: qui & excelsa abstulit  
 quæ reliquerant patres eius: & summa quoq; impensa,  
 phasæ celebrauit: & plurimos ex Israël cōuertit ad deū  
 patrum suorum: nolens in fine obedire uoci dei, ex ore  
 Nechaonis regis Aegypti, inobedientiae suae poenas luit.  
 Nam pergens in bellum, aduersum eum, iuxta prædi-  
 ctionem Nechaonis: quo cum, tum auxiliator & malo-  
 rum uindex erat deus, cæsus est in prælio. Et reductus in  
 curru suo, illatus est sepulchro patrum suorum. Quæ so-  
 lenniter luxit uniuersus populus: Hieremias per amplius.  
 Et post hunc nō surrexit similis illi in Hierusalē: usque-  
 quo per summam inundationem mali & peccati, grauis  
 ultio ab offēso deo super uniuersum Iudā deseuit. Quæ  
 per manus Babyloniorum Hierosolymam urbē euertit,  
 templum succendit, sacra templi uasa in Babylonē aspor-  
 tauit, & populum in captiuitatem abduxit.

#### REGRESSIO AD REGES

Israël Hieroboam & Achab: sub qui-  
 bus grandis succreuit peccati  
 area.

Cap. XVIII.

**E**Xcurrimus saltu ueloci per reges Iuda, ad euer-  
 sionem usq; Hierosolymæ urbis, & populi trās-  
 migrationem, quam peperit inundantis peccati ultio, &  
 intolerabilis diuino numini plebis offēsa, quæ populi  
 sui peccata interim alienis manibus castigari & expia-  
 ri uoluit. Retrocedamus nunc paulisper ab hoc, in quo  
 stamus loco, & desiliamus etiam secundum latus à par-  
 te in partem: Id est, à regno Iuda, in regnum decem tri-  
 buum, quod primo regnum Israël, deinde Samariæ di-  
 ctum

tum fuit: Videamusq; cursum, ubinam in eo perma-  
 gna abundauerit mali & peccati area, famosa quidem,  
 & memoratu digna: ut considerata ea, mox istuc re-  
 uertamur, unde digressionem istam à latere in latus fe-  
 cerimus. Hieroboam siquidem in tribuum diuisione, & Hieroboam ul-  
tulos aureos cō-  
flauit.  
 in populi discordia primus rex Israël, ne rursus po-  
 pulus cui imperabat iret in Hierusalem ad adorandum  
 deum, & deficerent forte ab eo, hi qui nuper consti-  
 tuerant eum regem, iniqui consilij autor, aureos uitu-  
 los conflauit, primamq; & publicam deficiendi à deo  
 uero occasionem uniuerso populo suo, etiam cum impe-  
 rio, dedit. Sub hoc ergo prægrandis quidem impietas,  
 prolabantium à deo decem tribuum stagnauit. Sed lon-  
 ge sub Achab impijssimo rege cumulata maior iniqui-  
 tatis moles, uallum aduersum deum & pietatem erexit.  
 Et præsertim ueri dei obliuio, contemptus ue, sub eo à  
 corde usq; ad os inundauit. Nupserat hic quidem im-  
 pijsimæ Iesabeli, filiae regis Sidoniorū, quæ cor uiri sui Achab in pro-  
phetas dei pfe-  
cutio.  
 prorsus euertit, & separauit à cultu dei: intantū, ut iu-  
 beret creari, & pacta mercede fieri sacerdotes excelsorū  
 & idolorum, & interfici ubiq; sacerdotes ac pro-  
 phetas domini. In specie ergo psecutionis & totius ho-  
 stilitatis uersa est sæua iniquitas illius, interficiētis qdē, &  
 exterminari undecunq; in regno suo eos iubentis, q iusti  
 erāt, & qui ex parte domini stabāt. Quibus tñ reges, q  
 fuerāt ante eū, quāquā impij, & cultores aureorū uitu-  
 lorū, modestiores peccerant, & uiuere eos secū pmise-  
 rāt. Aucta est tñ usque adeo rabies psecutionis in Achab,  
 ut facile malitia eius dederit illi similitudinē regū gentiū,  
Iesabel.

m 2

&amp; siste



et sifteret illum quasi aduersum dominum, ut iure à propheta de eo ad Iosaphat diceretur, Impio præbes auxilium: et his qui oderunt dominum, amicitia copularis. Ecce ibi Achab impius, et osor domini appellatur, tanquam cui non suffecerit odisse et persequi seruos dei, nisi et in ipsum etiam deum sui uerteret pessimi odij incendium. Grandes igitur sub Achab fimbrias dilatauit et fecit area mali et peccati. Quæ à primo Israëlitis rege semp in deterius eousq; profecit et accreuit, ut uix iam sub ipso superesset quisquam præter Heliam, et septena quedam populi milia, soli agnita deo: qui non curuasset genua ante Baal; Seu qui uel iam dei meminisset, uel saltem deum uerum patrum suorum adoraret, et confiteri palam eum auderet.

#### DE HIS QVAE GESSIT HE-

lias, repurgans aream peccati, ab  
pseudo prophetis et sacerdotibus  
Baal.

Cap. XIX.

**P**rouidit autem sibi deus eo tempore Heliam, uirum prophetam, qui tantam mali et peccati aream (quæ suo tempore succreuerat, et inundauerat ferè usq; ad capitis uerticem) pertæsus, cernens quidè populū, et principes, et prophetas, et sacerdotes claudicare cum rege suo in partes duas: et uniuersos à ueri cultu dei prolapsos, gentilicio ritui, et idolorum cultui submisisse ceruices, in partem dei sui, generosa animi amaritudine respirauit. Et igneo dei zelo accensus, in aduersarios excanduit; dum in ira indignationis istiusmodi suæ, et in succensu in se diuini zeli flamma, notū insigne et memoria

morabile uouit deo. Quo quidem cœlum uerbo clausit,  
 ne fieret super terram, & habitationem uirorum à deo  
 deficientium, ros deinceps, & pluuia, nisi iuxta oris sui  
 uerba. Quod & factū est, obediēte deo uoci unius ho-  
 minis, Et iuramento prophete miram & inauditam tri-  
 buente claudendi cœli uim, & inhibendarum cœlestium  
 catharactarum consuetudinē, ut forte conuerteretur cor  
 eorum iterum ad deum. Emissō ab ore prophete istius-  
 modi iureiurando, mox fugiens consortia hominum He-  
 lias, latuit diu oculos cunctorum. Abiensq; primo in in-  
 uium & ignotum iussu dei locum: sedit diu in torrente  
 Borith. In quo cum de torrente biberet, corui obsequē-  
 tes imperio præcipientis dei, pane, quem cotidie uestpere  
 & mane adferebant, eum aliquanto temporis spatio ibi  
 aluerunt. Deinde cum pluuia terris negaretur, siccato  
 torrente, missus est in uoce angeli in Sareptam Sidonio-  
 rum, ad mulierem uiduam: ibiq; impetrauit à deo, ut nec  
 lechitus olei deficeret, nec munueretur hydria farinæ,  
 quibus ad id temporis uidua & filius eius ægre aleban-  
 tur: donec daret deus pluuiā super faciem terræ. Vixitq;  
 apud eā Helias è lechito olei, & hydria farinæ residuo  
 eius temporis spatio, quo regem, populumq; magno o-  
 mnium incōmodo latuit. Qui etiam & mortuum hospite  
 uiduæ filium suscitauit. Et tandem post tempus, tempora,  
 & dimidium temporis: id est, post tres annos & mēses  
 sex iussus à deo redire, & ostēdere se regi Achab: post  
 conuictū erroris sui populum, & cæsos uniuersos sacer-  
 dotes Baal, post ostensionē diuini miraculi, quo exaudi-  
 tus est à deo in igne palā è cœlo labente, & sacrificiū Baal cades.

Helie fuga.

Prophetarū

Baal cades.

m 3

altaris

altaris deuorante, necnon & aquam & puluerem lambente, facta oratione, pluuiam elicit super faciem terræ, conuertitq; cor iterum, claudicantis & seducti populi ad deum patrum suorum. Cum enim cerneret uniuersi lapsum è cœlo ignem super meridianum holocaustum, quem impetrare nequuerant sacerdotes Baal, corruerunt proni in terram, unanimiq; uoce exclamantes dixerunt, Dominus ipse est deus, Dominus ipse est deus. Hic publicus fuit cæcutientis prius uniuersi populi stupor. Hæc rediuiua eorum confessio, plausibilisq; lætitiæ, & admirationis acclamatio. Viso enim per ignem cudenti miraculo, titubantia & lubrica, ab axe suo, eorum uestigia, in sua se iterum petra fixere. Hæc enus ergo superflua impiorum sacerdotũ & prophetarum lolia & zizania manu zelatoris Helie ab agello dei eradicata, cū terram inaniter occupare, tum ex cultæ dei messi ac segeti obesse, eamq; suffocare ad id saltem temporis desierunt.

DE FUGA HELIAE IN DESERTUM à facie impiæ Iesabelis, Et de septem milibus hominum, qui non curauerunt genua ante Baal.

Cap. XX.

SED non sufficit ad aream tanti mali, licet latam & singentē, impietas regis Achab, & totius claudicatio populi, nisi iterũ eius areæ agellum protensiore circino dilataret scelus impijssimæ reginæ Iesabelis, uxoris Achab. Huic enim cū regressus Achab in domum suam à sacrificio Helie, & à cæde sacerdotũ Baal, denarrasset ea quæ gesserat Helias, & quo pacto impetrato à cœlo igne

igne, & deuorato palā holocausto, cū aqua altaris & puluere, uniuersos sacerdotes Baal interitioni & neci dedisset: misit mox indignans superba mulier ad Heliā, qui ex ore eius illi gentilicio ritu diceret, Hæc mihi faciunt dii, & hæc addant, si nō cras hac eadē hora posuero animā tuam, sicut animā unius ex illis. Iurauit impia mulier iuxta natiuitatis suæ ritum, nō in deo Israël, sed in dijs & idolis gentiū: quippe quorum ab infantia cultrix erat: Namq; haud erat ē semine Abraē, sed filia erat regis Sidoniorū: nō modo noluit obliuisci deorū & religionis patris sui, sed etiam in cultū eorū flexit ceruices peierantis populi. Terruerunt mox Heliā minæ uxoris, quæ nihil exterruerāt prius oburgationes & aspera uerba mariti, dicētis ad eū, ē latebris Sareptæ regressum, Tu ne es ille, qui cōturbas Israël? A facie igitur muliebriū minarū pauēfactus Helias, iterū contubernia hominū fugiens, abiit in desertū. In quo post geminā apparitionē angeli, & allatum bis ad se panem ē coelo, & uas aquæ: post itē geminam refectiōē suā, post iter quadraginta dierū: à cōfortatione angelici cibi & potus, uelut tandem à fatigatione itineris, & ab aestu solis quærens requiē, cōsedit in monte Oreb: in quo audiuit arcana dei cōsilia, & futuras immutationes temporū, in his quæ facturus erat deus post ipsum. Et cū tandem postulatus à uoce dei, se palam alloquentis, quidnam ibi sedens, in petra solitudinis ageret: Et respondisset, zelo zelatus sum pro domino deo exercituū. Quia dereliquerunt dominū deum patrum suorū filij Israël, prophetas tuos occiderunt gladio: Et ego derelictus sum solus. Et querunt ani-

*mam meam, ut auferant eam. Audiuit mox à deo sui castigationem responsi, & meliorem, etià opinione ipsius sua, sibi declarari in posterum spem. Nec tantà in Israël inundasse, quantà existimauerat mali & peccati aream. Dixerat enim deo ipse, Et derelictus sum ego solus: putans prater fortè se unum, omnes sui temporis Israëlitas declinasse cum rege suo post simulachra & idola. Sed audiuit à deo dicente, dereliqui mihi septem millia uiro- rum in Israël, qui non curuauerūt genua ante Baal. In mysterio igitur septenarij numeri, saluam sibi fecerat deus, secretorum inspector cordium, occultam & igno- tam oculis hominum messem residuam: id est remanens septem millium spicarum aream, quam non suffocauerant lolia & zizania peccati. Quam turbines & uenti demoniorum nō prostrauerant in terrā, nec proculcarāt eam, ut quæ superstes erat & residua soli deo, ab omni populo, tum in idolorum impietate declinante.*

#### DE CONTEMPTV VERI DEI

*ab Ochozia rege Israël, iubente consuli*

*Beelzebub deum Accharon, deq; etià*

*rege Ioram.*

Cap. XXI.

**S**Ucceſſit impio Achab, caſo iuxta uerbum Heliae in ſprelio, filius eius Ochozias: qui non diſſentaneus à patre & matre, nec originem ſuam & ſeminis ſui ger- men mentiens, ſpicaſe ſe præbuit, & culmum, & ariſtā peccati, non in manipulos triticeæ meſſis colligendum, ſed in horrea zizani- orum, & loliorum ſeu ſuis manibus deportandam: quod & euenit mox. Sicut enim breui in iſto ſuc- creuere iniquitatis, & diuiſionis à deo zizania, ita &

ita & adfuit illi à tergo uindicta, & ultio dei propera. Nā in initio regni fui: cadens per cancellos cenaculi sui, collisis, confractisq; membris omnibus, lecto ualitudinarius decubuit. Et scire cupiens, an de infirmitate sua hac confurgeret, necne: oblitus Dei patrum suorum, à quo potuit interrogare sermonem, nuncios misit, qui irent, & consulerent Beelzebub, Deum Accharon: sciscitaturi, an egrotaret usq; ad mortem: uel an sanandus confurgeret tandem è lecto quem ascenderat. Indignans autem deus se ab eo sperni, & dari contemptui, atq; à dijs alienis, qui dii non sunt, irritum peti & consuli suae ualitudinis oraculum, misit Heliam in occursum nunciorum eius, qui reuerti iussis ad dominum suum Ochoziam, significauit ex ore dei, eum nequaquam de lecto quē ascenderat surrecturum: Verum hac ipsa qua iacebat infirmitate & morbo perituum. Idq; non tam uide & necessitate egritudinis accidit, quàm ira & indignatione spreti Dei: quia miserat nuncios, ut consuleretur Beelzebub Deus Accharon: quasi non esset Deus in Israël, à quo posset sciscitari dubiae rei ueritatem. Iuxta igitur uerbum Heliae mortuo Ochozia, surrexit loco eius, Ioram frater ipsius, filius Achab, & impiae Iesabelis. Qui ambulans in uia patris sui, & matris suae: nec reueritus faciem dei patrum suorum, lapsusq; in cultum idolorum, propogauit ipse & in se & in plebe (ut pote iniquo regis sui exemplo, in deterius proficiente) pestilentem peccati aream. Auxitq; plurimum manipulos zizaniorum, ultore igne deurendos. Nōnihil tamen boni in eo emicuit. Quod cū affinitatem & amicitiam inisset cum rege Iosaphat, bo-

Ioram.

m s no &amp;

**Heliseus.** no & inclyto ualde, & profecturi essent unà ambo ad bellum: eius consilio pseudoprophetas patris sui spreuit, adiūq; cum eo Heliseum, sciscitaturus ab eo in nomine domini finem & euentum belli. Verum Heliseus tam peccatis ipsius, quàm sceleribus patrum suorum, & præsertim contemptu ueri Dei offensus, in hæc uerba illi respondit: Quid mihi & tibi rex Israël? Vade ad prophetas patris tui & matris tuæ. Viuit Dominus, ante cuius uultum sto, Quia si non uultum Iosaphat, regis Iudæ, erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Iusso tamen psalte adduci: & facto cum psalter caneret super se, spiritu dei, propheta responsa petentibus de euentu belli, fausta & felicia dedit: quoniam inquam, quia hac uice os domini interrogassent, uictoriam ab hoste Siro reportarent: quod & rei effectus subinde probauit.

IN VNDATIO DIVINI FLAGELLI  
super reges Israël, quoadusq; deleti sunt.

Cap. XXII.

**V**ictor quidem hac redijt uice Ioram è bello Sirorū. Acquieuerat enim consilio Iosaphat, inclyti & dilecti à Deo regis, ut nō à prophetis Baal, sed à propheta domini sciscitarentur ambo finē euentumq; belli. Tandē uolens deus permundare aream suā, & auferre ex ea impietatis zizania, suscitauit aduersum Iorā, & exinde cōtra omnē domum Achab, principē Iehu, militiæ ducē: super cuius caput fuso per manus unius discipulorū Heli  
sci

Iei oleo, erexit deus spiritum eius, ut iuxta ea quæ prædicta  
 ore prophetarum fuerant, deleret de domo Achab, usque  
 mingentem ad parietem. Adduxit ibi deus ultionem super  
 ultionem: abstulit malo malum, & in flagello contriuit  
 iniquitatis flagellum, & uirgam impie dominantium. Su-  
 scitauit enim cum primis deus flagellum & uirgā Baasa, Hieroboam.  
 aduersum domum Hieroboam, primi regis Israël, qui pri-  
 mus diuisionem & separationem à domo Dauid concita-  
 uit. Percussitq; Baasa, ac deleuit omnem domum Hie-  
 roboam, sustulitq; ex area Dei omne semē illius, quò pri-  
 mo autore aureos uitulos seductus populus in contame-  
 liam ueri Dei excoluit. Et cum postea inique egisset etiā  
 & ipse Baasa, ambulans in uia Hieroboam, erexit deus  
 aduersum eius filium nomine Hela, spiritum Zambri, qui  
 interfecit omni domo Baasa, regnauit pro eo, paucorum  
 dierum rex. Nam cū & iste impie ageret, obsessus illico  
 ab Amri, patre Achab, uidēsq; se ab hoste capiundū, suc-  
 cendit se cū omni domo regia, & periit in peccatis suis,  
 qui peccare fecerat Israël. Stetit autem domus Amri, Achab.  
 perseverauitq; in regibus quatuor: Amri, Achab, Ocho-  
 zia, & Ioram: sed consummatis eius peccatis, posteaquā  
 ad aream usq; eius scelera maturuerunt, rebellionē Iehu  
 ducis: exterminium à Deo super eam domum innunda-  
 uit. Quo uoluntate dei semen impiorum funditus periit,  
 & repurgata est ad tempus Dei area, quā exurenda mes-  
 sis zizaniorū compleuerat. Perseuerauit autē deinceps  
 Israëliti regni sceptrum in manu filiorū Iehu, propter  
 ea quæ bene egerat eorum pater corā deo, usq; ad quar-  
 tam generationem. Id est usq; ad filium eius Zachariam.  
 Zacharias.

Qui



Qui cum ambulasset & ipse in uijs regum Israël, rursum super eum adduxit Deus flagellum ultionis. Nā in-  
 Sellum. fidijs Sellum, filij Iabes, sublatuſ ē medio, regnum cum  
 Manahen. uita amiſit. Aduerſum hunc Sellum, Manahen ceruices  
 erexit, eumq; interfecit. Et regnans pro eo, filium reli-  
 Phaceia. quit poſt ſe regem nomine Phaceia, paucorum dierū re-  
 Phacee. gem. Nam Phacee, filius Romelia, non multo poſt eum  
 interfecit, & illius regnum poſſedit. Hunc Phacee rur-  
 Ozee. ſum interfecit Ozee, filius Hela, pro quo & regnauit  
 annis decē. Perſeuerauit eo pacto diu in regibus Iſraël  
 hæc inſidiarum alternatio, qua prædeceſſorum ſuorū re-  
 gum ſemen, hi qui poſtea regnum ex inſidijs uſurpa-  
 uere, internitioni dederūt. Tandem uero poenitens deus  
 auerſionis eorum, tædere cœpit ſuper Iſraël: Et nouo ul-  
 tionis genere ſcopauit & permundauit aream ſuā: cæci-  
 ditq; eos, nō ut prius, in molli uirga eorum: ſed in crude-  
 li uirga, & ſerreo baculo gentium, nempe Caldæorum:  
 quos cum adduxiſſet in terram Iſraël, traduxit per ma-  
 nus eorum & regem, & populum in regionem Aſſy-  
 riorum: nec permiſit, ut ultra conſurgeret regnum Sa-  
 marie, cuius reges proſuſ a ueri dei cultu ſeparati, tan-  
 tam fecerant areā peccati, quæ ſolius Dei manu, & lon-  
 gamini eiſ ultione fuerat repurganda, & ab idolorum  
 ſordibus expianda.

DE OOLLA, ET OOLIBA SORO-  
 ribus, iuxta Ezechielē: & de exterminio utriuſq; à  
 Chaldæis: deq; eiſ uaticiniſ intelligētia: Nō au-  
 feretur ſceptrū de Iuda, quoaduſq; ueniat qui  
 uenturus eſt.

Cap. XXIII.

Exter

**E**Xterminato funditus Samaritanorum Israëlitarum regno, supererat adhuc funiculus alter totius Israëliticæ gētis. In quo perseverabat sceptrū regni, in stirpe & prosapia Dauid, iuxta promissionē Dei: cui due tantū tribus parebant: tribus Iuda, & tribus Benjamin. Hæc enim ut sortē possessionis acceperat tribui Iudæ finitimam uicinamq; ita & à regno, quod in tribu Iuda, & in semine Dauid stetit, minime se disiunxit: Nec deficientibus ab eo decē tribubus adhæsit. Vtrūq; totius Israëliticæ gentis regnum, ob idolorum cultum, & fornicationes eorū à Deo uero, Ezechiel propheta noie mulierum meretricum appellat Oolle & Oolibæ. Nam per Oollam, natu quidem maiorem, & gentis multitudine grandiore, regnū Samarie inuuit: per Oolibam iunior, regnum Iuda intelligi uult. Et utranq; mulierē post immundicias fornicationum suarum, quibus fornicatas dicit eas cum gentibus & incircuncisis, ait uolūtate & ultione Dei datas in captiuitatem, in gladium, & in exitum Caldeorū. Oollam quidem seniore prius, Oolibam posterius. Nam sub Ezechia rege Iuda, Oolla in captiuitatem abducta, migravit è terra sua. Sub Sedechia autem Ooliba & ipsa sororem secuta, exusto à Caldeis tēplo, & euersa Hierosolyma in Babylonem abiit, Quæ enim parem, imò ut uult Ezechiel, maiorem sorore fecerat peccati & fornicationis aream, etiam non dispares à sorore catenas ferreas è Caldeorū manibus induit, & iugum gentiū tulit, terramq; suam, amisso Dauidico sceptro, desolatam moerens liquit. Quoad tandem placatus longa eius captiuitate Deus, in qua septenæ an-

Oolla, regnū  
Israël.

Ooliba, Iu-  
dæ regnum.

norū

Asamonei.

Herodes.

norum hebdomades fluxere, misertus est iunioris sororis Oolibe, reduxitq; eam in terram patrum suorum. Sed nō illico sceptrum regni illi restituit : licet euerfas à Caldeis urbes, & templum rursum edificare ei permisit. Plurimi interim lapsi sunt anni ab edificato iterum templo, & instauratione Hierosolymæ urbis, usq; ad Asamoneorū progeniem, qui ab Antiocho illustri ob tuēda paternarum religionum iura rebellantes, & summum cum primis sacerdotium inierunt. Deinde & cum inito summi sacerdotij honore, etiam sumpto diademate, in regnum profecere. Et ab eorum tandem stirpe, sub dissentione fratrum Hircani & Aristoboli excussum regnum, transijt in exterum & adulterinum semen. Nam Herodes natione Arabs, cum fraude & simulatione, tum Romanorum dono illud usurpauit. Asamonei, haud erant è semine Dauid, neq; è tribu Iuda: Sed è genere sacerdotali, & è tribu Leui: in qua à scripturis, & iuxta promissionem Dei nulla prorsus fit mētio regni. Herodes alienigena erat, natione, ut diximus Arabs, nec è semine natus Abraæ, nec è circumcissione. Quamobrem orta istic est inter theologos diuinarum scripturarum interpretes, lata dudum controuersia, & dubietas non minima: altercantium, cur cum prædictum sit à patriarcha Iacob : Non auferetur sceptrum, de Iuda, quoadusq; ueniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Et tamen nec Asamoneorum filij, nec Herodes & eius successores, qui in nouissimis diebus, & in aduentu domini regnauere, erant de tribu Iuda. Atqui nihil profecto obstrepēdum est ueridicæ prædictioni sacri patriarchæ: sed

sed rite intelligendus sermo illius est. Cū enim actus à spi-  
 ritu sanctus uir, istud eloquium fudit: Nō auferetur sce-  
 ptrū de Iuda, quoadusq; ueniat qui uēturus est: is non  
 tam semē eorū, qui regnaturi deinceps erant inspexit,  
 quā gentē & tribū cui imperandum foret. Et in cuius  
 finibus ac tribu p̄seueraturū erat regni diadema, usque-  
 quo is adueniret, qui futurus esset expectatio gentium,  
 et rex regū, dominus dominantū. Non auferetur, inquit  
 propheta, sceptrū de Iuda: hoc haud sic intellige, id est:  
 regnabit quis de semine Iuda: Sed sic accipe, regnū in-  
 quam erit in tribu Iuda: Seu regem, qualemq; &  
 cuiuscūq; seminis & nationis, habitura est tribus Iuda,  
 et regni dominio in finibus suis potitura. Ibi enim tribus  
 Iuda, non genus & personam regis, sed rationem & na-  
 turam gentis, in qua regnandum foret, innuit. De Sama-  
 ria siue Ooella sorore maiore, nihil cecinerāt prophetae,  
 regnaturam scilicet fore eam, & regnum penes se ha-  
 bituram, quoadusq; is ueniret, qui & ex Dei promissio-  
 ne, & ex prophetarum uaticinio uenturus erat: Ideo  
 etiam & hæc in captiuitate mansit, nec reducta est in  
 terram suam, nec redditum est illi amissi sceptrum re-  
 gni. Oolibam uero iuniorem, quam per amplius dilexit  
 Deus, & de qua prophetico prædixerat ore, regna-  
 turam eam in aduentu summi regis, reduxit ideo in ter-  
 ram patrum suorum, ut implerentur in ea uerba pro-  
 phetarum. Et intermissum diu regnum, in nouis-  
 simis diebus illi reddidit, ut eo tempore, iuxta prophe-  
 ticum uaticinium, sceptrum esset in Iuda: Id est, ut  
 regnaret Hierusalem, & tribus Iuda, cum adueni-  
 ret

ret is qui uenturus erat : & qui futurus, erat temporarij regni meta & regni æterni initiū. Debit enim is, qui uenturus erat ut liberaret omnes, nasci in populo libero: Id est, in populo qui separatus esset, & immunis à iugo gentiū: id est in gente non tributaria, sed regnū pcnes se, & sceptrum honoris habente. Quæ quidem omnia eo tēpore, quo dominum I E S V M uirgo enixa est, ita prorsus habebāt. Cū nulli omnino genti, aut exteræ nationi regia tribus Iuda inferuisset. Imò plurimæ quidē incircūcisorū nationes, uelut Idumeorū, Moabitarum, Ammonitarum, Arabum, Palestinorum, Sidoniorum, & Tyriorum, ad id temporis sub Herodistum in Hierusalē regnantis iugo & potestate essent. Erat enim Hierusalem cum natus est dominus Iudaici regni sedes. Nam cum Magi ab oriente, stella duce, ad adorandum eum uenerunt, scriptum est de eis, quoniam arbitrabantur eum se in regia ciuitate, id est in Hierusalē reperituros: quem tamen in ciuitate Dauid, id est, in Bethleem repperunt. Et facta oblatione suorū munerum, eum ut nouellum regem adorauerūt. Satis igitur istud est ad intelligentiam prophetice denunciationis, & ad demendā ueterum & præsentium theologorum controuersiam, quoniam sceptrum ablatum non erat de Iuda, & de Hierusalem. Quod uti diximus, intelligendum non tam de persona & semine regis est, quàm de tribu, loco, & electa à Deo ciuitate Iudaici regni. In quibus perseverauit, stetitq; regum in natiuitate CHRISTI. Quod tamen paulopost natiuitatem CHRISTI, mortuo Herode & filijs eius, coepit diuidi in tetrarchias. Et tandē  
uelut

uelut consummatis prophetarū oraculis, funditus tolli,  
 & Romanorum iugo, toti imperantium mundo, subdi.

DE SVMMA ET VLTIMA PEC

cati area, in morte Christi: per quam lege

& iure sublatum est peccatum.

Cap. XXIIII.

**P**Eruentum iam à nobis erat usq; ad extremam pec-  
 cati aream: ubi post excisum Oollæ regnum, etiam  
 excurrimus usq; ad exterminium regni Oolibæ sororis  
 iunioris. Nam duplicē Ooliba fecit aream peccati: pro-  
 pter quā duplici quoq; internitione à gentibus subacta,  
 pessum prorsus iit. Primum eius exterminium à Chal-  
 daeis, in transmigratione Babylonis fuit: A quo misera-  
 tione dei medelam inuenit. Cum reducta, rege Cyro iu-  
 bente in terrā suam, instaurato templo & urbe, diu sub  
 tributo Persarum, & Siriae regum iuxit. Et tandem cō-  
 fracto eorum iugo, sub Antiocho ceruicibus ad liberta-  
 tem erectis, usq; in regnū profecit. Id quidem actum est  
 prædestinatione dei: ut tunc in gente non captiua, non  
 tributaria, sed libera, & potente suo sceptro, nascere-  
 tur is qui uenturus erat, ut immite iugū Satanae & gen-  
 tium confringeret: & uniuersos secūdum deum renatos  
 uera & æterna libertate donaret. Secundum porrò sui  
 exterminium Ooliba, id est Hierusalem, soror Oollæ Sa-  
 mariae, à Romanis perpeffa est: Idq; cum perseueret ha-  
 stenus, uix spem ullam habet, ut temporarij regni sce-  
 ptrum resumat, ut ue patriam, urbem, & templum re-  
 cipiat, antiquas ue instauret ruinas. Gens enim insi-  
 piens, peremptrix æterni sui regis, iure nunc in disper-  
 sione

Secundū Hie-  
 rosolymæ ex-  
 terminium.

Christi mors Iu-  
daeorum regno  
finē imposuit.

sione agit gentium. Referenda igitur nunc est causa ea, propter quam Ooliba electa quondā à deo uirgo, postea meretrix, & cum Idolis nationum fornicata, tandiu extorris à patria, amisso regno, inter gentes, sub tributo uiuit. Et quo pacto pepererit ipsa sibi tantam peccati aream, ut radicibus funditus absq; penè spe conuulsa sit. Causa quidem hæc quam disquirimus in promptu est, unica mors CHRISTI, quam dudum cunctorum prænuñciarant prophetarum oracula, posituram finem & metam ijs omnibus mysterijs, quæ deus ab initio erga hominum genus causa salutis illius operari uoluit. Unica enim mors CHRISTI cuncta haud dubie à patribus & prophetis quondam pronuntiata impleuit, & summam peccati aream genuit: in qua quidem peccatum prorsus à radicibus iure conuellendum fuit: & antiqua illius uis, & pungens intrinsecus spina è cunctorum hominum cordibus summouenda. Solet in rebus humanis uis omnis tabescere, cadere, & tolli, ubi ipsa ad summum sui culmen peruenit, & omnem suæ uirtutis actionem expleuit. Quemadmodum & latiora arborum folia citius minoribus ex arboribus fluunt, & in terram à uento excutiantur. Sic & peccatum, ubi in CHRISTI innocentis nece summe peccauit: Vbi sui tabernaculi pinnam, in summo loco tetendit, adeò ut sub umbra sua personam unam, deum & hominem, prorsus infontem conciperet: tum sibiipsi suæ amaritudinis stimulos infixit, & sua seipsum manu peremit, deq; sui nominis specimine, id est de peccati ratione, similitudine, & proprietate seipsum damnauit. Et antiquum, quod

quod in cunctis hominibus possedit, regnū amisit. Noluit enim deus, uelut fortior manu & uiribus, aduersum malum contendere, & in fortitudine sua peccati regnum conterere: sed lege, iure, iustitia, & occulto sui consilij iudicio tollere illud maluit. Non enim in semine & in uirenti culmo abstulit peccati zizania: sed longanimis & patiens præstolari uoluit, quoad peccati germen latam messem, & aream faciens, per seipsum unius innocentis morte iuste concideret, & æternæ damnationis legem acciperet. Euacuareturq; per unum spina illius è cordibus omnium: quæ per unum ingressa, & altissime infixæ pungebat, & internitioni dabat corda uniuersorum.

## DE SUPREMA MALI, ET

peccati area: sub Antichristo, quæ finē

mundo allatura est.

Cap. XXV.

**Q**uia sub cælo nusquā maius aliud malū scelusue, & peccatum emicuit, interemptione innocentis unius CHRISTI: nimirum in ea summā locamus peccati extollentiā, & supremā mali aream: quæ merito & regnū peccatricis Oolibæ funditus abstulit, & peccatū, uelut summē peccans, de peccato damnauit. Hæc est iure postrema, & ultima peccati area, in cuius latissimā sepe, præteritæ omnes mali sentes & spinæ transierūt: & ea zizania, quæ pepererūt, in unius istius horreum comportarunt: ut succenderentur tandē igni ab iusto dei iudicio omnia conamina & molimina peccati, & permittē daretur ab eis area dei. Statuit enim deus, ut in nouo hominis semine, qd' iniuste peremptū est, & qd' à zizanijs

n 2 iniqui



iniquitatis diffungi se & mori permisit, noua & sancta succresceret electorum suorum seges, in aeternae salutis horreū angelicis manibus deportanda. Sed & antequā iusto fine operi isti metam demus, recensenda etiam est & alia quedā suprema mundi area, quae à summa mali & peccati inundatione offensi dei irā prouocatura est, & uniuerso mundo finem & exterminium allatura. Perinde atque sola una interemptio CHRISTI, quae fuit necis prophetarum comes, tantam dei iram concitauit, ut regnum Oolibæ, id est Iudeorum sustulerit, & uniuersum Iudeorum semen usq; in hanc diem, dederit in dispersionem gentiū. Sed interim rogabit aliquis: Si CHRISTI prorsus innoxij, iniusta mors, non modo peccatum damnauit, sed & germen illius, quod ortum à primis parentibus, singulorum exinde corda pupugit, penitus summouit: & sauciatorum cordium uulnus euulsione pungentis eiusmodi interioris spinæ sanauit. Vnde igitur post mortē CHRISTI, & qualiter reuixit peccatum & malū, ut rursus in fine mundi tanta illius crebrescat area, quae toti sit mundo iudicium & excidium allatura? Vnde enim & quonam modo euulsum penitus ē cordibus hominum naturale peccati germen, ullam iterum concipiet pullullandi uim, & ferendi denuo zizania, usque adeo tanta, quae uniuerso orbi, ab suprema dei ira, & uindicta pariant, ut uolunt scripturae, exterminium & iudicium per ignem? Ceterum dicimus istud quidem postulatū tali responso esse cohibendum: Oportere cum primis in hominibus duplex inspicere malum & peccatū. Primum quidem malum & peccatum naturae, quod à primo

primorum fermento parentum in hominibus occalluit. Id mali & peccati germen sustulit CHRISTI interemptio, & iniusta eius mors: quæ & Oolibæ peccatricis solium euerit, & usq; in hanc diem peregrinam eam & uagam, absq; rege & sacerdote in uniuersum mundum dedit. Secundum aliud malum peccatum uel, est malum uoluntatis, quod ab uniuscuiusq; uoluntate, etiã post primæ conuulsionem mali, cotidie exoritur. Omne equidẽ malum est malum uoluntatis, & exoriens uoluntarie, in homine: cum non ab ipso ordine creationis diuinæ pendeat in nobis sœua peccati & mali lues. Attamen id malum quod in singulis est à natiuitate, manãs à primæ parentis inobediẽtia, & à lapsu primæ uoluntatis, quia singulis ab ipsa matris aluo inhareret, & non à natiuitate singulorum, ideo peccatum nature uocant. Et huic quidem malo, medelam mors attulit CHRISTI, quæ sacro baptismatis lauacro uim dedit, illud in cunctis abluerendi. Sed cū post allatū eiusmodi nature lui à CHRISTI morte, & sacro regenerationis lauacro medicamen, supersit ipsa adhuc in cunctis hominibus, uoluntas libera, prona ut prius ac lubrica in peccatum, & propensa in malum: hinc in fine, & in exitu mundi, deficientibus à deo, hominum etiam naturalis peccati lue carentium, uoluntatibus, & suoipsorum, non diuino iure uiuentibus, latissima succrescet zizaniorū, & totius mali per summam uirtutem sese extollentis area: quæ missis sub Antichristo in uniuersum orbem infestis propaginibus, irā dei concitabit, zelumq; illius in igne & calore succendet. Cuius inundans & sauiens ubiq; flamma, tum quic-

quid diuini operis uisibile, & præditum corpore est,  
 exuret: totamq; mundanæ machinæ formosam struem in  
 fauillam resoluet. Hæc erit suprema mali area, finis qui-  
 dem huius mundi, & initium uenturi seculi. In quo, sicut  
 nulla formidanda est amplius separatio ab unitate dei,  
 ita & nulla in illo immortalitatis, & iucundissimæ pacis,  
 ueræq; beatitudinis æuo, succrescet amplius area pecca-  
 ti, & exurenda iniqua seges mali. Nam iuxta euangeli-  
 cam ueritatem, ingens chaos stabit inter bonum & ma-  
 lum, ut nequeat amodo perrumpi amborum cōtrario-  
 rum maceries: neq; deinceps aut malū cōmisci bono,  
 aut boni integritas uiciari, trahi ue in pernitiæ mali.

Libri de concertatione & area peccati finis.

Nouioduni, Anno domini Millesimo,

Quingentesimo, Tricesimo, die

Diui Thomæ Apostoli,

& Martyris.

## CAROLI BO

VILLI SAMAROBRINI,  
DE SEPTEM VI-  
TIIS LIBER.

AD LECTOREM.



**Q**VADAM die, cum domi solitarius ocio marcerē, studiosi lectores, & stauissem abiecto calamo aliquot me diebus dedere quieti: nec deinceps noui quicquā operis in re literaria moliri: subinde memor fui supino pectori, & oscitanti palato uicinū subesse periculū. Nempe annexū esse illi triste animi tediū, & obliquantē feriantis supinæq; mentis euagationē. Necnō & perniciosum sepe numero cogitationum in deterius labentium naufragium. Memor inquā fui, thalamum quidē mentis haud absimilem fore agello suapte natura fecundo: qui si sub dio est, nisi assiduis hominum uestigijs plantis ue cōculcetur, ut in publica fieri uia solet, cum imprægnatus irriguo cœli rore, tum solis excoctus calore, aut salubres, aut noxias pariat herbas necessum est. Cultus siquidem, & utili cōspersus semine ager, salubres haud dubie herbas pariet: Neglectus uero, & uel satus semine nullo, nō ideo desinet gignere quicquā, aut sterilis prorsus erit: sed pariet lolia, & ea quæ uel nullius momenti, uel noxia & insalubria homini erunt. Id ergo est, cuius quidem mecum haud immemor

n 4

oppido

oppido fui: mentem scilicet hominis, siue cultam, siue negligentia marcentem, semper aliquid parere. Et uel ab angelo lucis semen accipere boni, uel ab angelo tenebrarum mali semine conspergi. Et fructum, non dubium est, iacto in se semini consentaneum proferre. Extimui hac de causa stare diu in ocio: & melius aliquid suggerente felici memoria, nolens sinere mentem longa mora feriari, resumpsi subinde quem abieceram calanū, chartāq; albicantis faciē (uelut agrum aratro profulcandū, & grauidandum cœlesti imbre uterum) illi supposui. Sed cogitanti tum mihi, quid potissimum scriberem, quibus uē feminibus uacuam desumptæ chartæ superficiem impregnarem: quia tum inertī in ocio deses eram: subiit me auspicato ab ociosi & inculti agri reminiscētia de his scribere, quæ ferantibus, & ociosis animis maxime pere noxia & insalubria sint: id est, quot quidem & quēnam sint noxia & uirulenta uitiorum gramina, quæ in neglecto & inculto humanæ mentis agello, ab adiacentis corporis uicinia facile per se, & nullo semine succrescant. Et in quot fugienda uitiorum monstra degeneret per ignauiam suam mens, cum à ratione cadens, tum aratri sui, & solitæ uillicationis sollicitudinē solutis manibus intermittens. Et quanquam præstantius sit edere opus quod uirtutum claritudines perscribat, eo opere quod detergendis uitiorum sordibus insudet: quia tamen contrariorum scientia prorsus est una, & cum utilius interim sit, imminētia nosse uitiorum præcipitia, & ea cauere, quam uirtutum demirari dignitates, & eorum eminentias alta lustrare è specula: ideo nunc uirtutibus  
omissis

omissis, præsentaneum de hominum uitij opusculum cōscribere malui. In quo ut uulgo solent cuncti, à septenaria eorum dispartitione rem omnem istam, uelut à iusto & mystico plane numero exordiri operæ præciū duxi. Valete. Nouioduni, quarto nonas Aprilis. 1529.

SEPTENARIJ NUMERI DIGNITATEM, non solum ea quæ à bono sunt, sed etiam ea quæ à malo, uti hominis uitia dispartiri. Cap. I.



VANQVAM numerorum inspicere rationes ad arithmeticum spectet: Hic tamen cursim in numero, non equidem omni, sed in solo septenario primum figemus circini nostri pedē. Tanta etenim sunt septenarij numeri munia, tantæq; claritudines illius, cum in ratione philosophandi, tum in totis sacris eloquijs ubiq; insignes & scitu memorabiles, ut non solum ea, quæ à bono sunt, uti creationē orbis, septenis à Deo perfectam & consummatam diebus, seriem quoq; planetarum, & humanarum cognitionum distinctionem, & alia absq; numero, is numerus dimetiatur: sed & ea etiam quæ à malo sunt, illius dignitas numeret: uelut lapsus, & inflexiones animi à suæ ipsius ratione & mediocritate cadentis. Animus enim, quoties à uicina carnis infirmitate illectus, mediani orbitam linquit, perrumpitq; rationis habenas, uulgo in septena ruit uitia, de quibus singillatim dicturi hic sumus.

n 5 Et

Et si quis insulterit modo aduersum nos, cur non potius de uirtutibus, nempe præstantioribus, quàm de uitij cura nobis hic est obtere calanum: iam quid istiusmodi iurgatori respondeatur præmissum satis est. Cum amplioris interim sit, & primæ utilitatis, scire uicina utcunque cauere pericula, quàm nosse & speculari altius quæ sint scitu optima. Et usque adeo hæc occasio ingruentia undecunque nobis mala deuitandi quondam inualuit, ut hac de causa prætulerint non ab re olim docti plurimi philosophiam morum scientiæ & contemplationi rerum sublimiorum. Et maluerint quæpiam à uirtute morum effici bonum, quàm ardua mente complecti ac scire mundum, Et utilius dixerint animum per uirtutem fieri à uitij immunem, quàm formosum nosse mundi ordinem: & immutabilem decurari rerum omnium tenorem. Præsto est ad id quod uolumus analogia medicinæ. Quid enim medicina, nisi uitandorum corporis morborum peritia? Quid morum philosophia: nisi quæ cauenda docet, imò & quæ fugat, depellitq; animi uitia? Atqui latior est in cauendorum solitudine & cura morborum medicina, & ampliorem, quomodo à nobis hi succidantur impendit sermonem: quàm doceat per se bonæ adsequendæ ualitudinis incolumitatem. Causa quidem sanitatis est unica, nulla inquam elementorum in corpore disproportionio. Morborum innumera & inuitabiles sunt causæ: tanto diligentiore oculo, & arctiore sui custodia præcauendæ: quanto illæ sunt incertiores, & plures. Atqui uitia non aliud sunt, quàm morbi, & egrimonie degenerantis à ratione animi. Causam  
habet

habet singularem, & unicam mens iustissime statere suæ, id est quæ non sinat illam labi à medio: uel quæ immoto pede illius aurigationem in suapte orbita consistere iubeat. Incertæ autem & absque numero sunt causæ quibus hæc titubet: id est quæ stateram, bilancem uel illius inclinent: & gressus eius, ab amussi & orbita medijs, in latus uariant. Quanquam igitur explere numero quis nullo possit sparsa ubique animi præcipitia, nec supputare imminetia illi undecunque pericula, à quorum uoraginibus sit illi oculatissime cauendum: certa tamen mensura, & stabili numero cohibebimus ad præsens impetum desiderij istius nostri: à quo hic uelut excussa alea, è domo & è limine progressi, tantisper in peregre breui stadio agemur: quoad de uitijis, ea quæ scire expedit, dederimus in medium. Istud quidem im præsentiarum cauentes, ne ultra publicum septenorum animi uitiorum numerum temere, & irritò labore palantes uagemur.

## V I D E N D V M C V M P R I M I S.

quid uitium, quid illi contrarium, à qua pendeat causa, & in quibus substantijs ipsius labes demoretur.

Cap. I I.

Sed quia, ut de uitijis dicamus, omnem nostram istoc in negotio, telam ordimur: operæ cum primis præcium est, pauxillum in ipso consistere uitij nomine. Videreq; (priusquam longius ipsam uitiorum digeriem struamus) quid sit uitium: Et quid nam etiam sit ipsi uitio



tio contrarium: & à qua insuper ipsum pendeat causa. Necnon in quibus illius labes substantijs demoretur. Solet enim in cunctis quidem disciplinis istiusmodi consideratio apte præmitti, ut priusquam dispartitio fiat ipsius subiecti generis, circa quod cuiuslibet scientiæ oculus incumbit, præmissio fiat iusta ue discussio, quid nominis. Non enim Arithmeticus in diuisionem labitur numeri, nec deorsum in discutiendas numerorum species à sui generis summitate decurrit, nisi quid sit numerus, in sublimi ipsiusmet generis idea, & alto nomine prænserit. Circumspectendum ergo à nobis cum primis est ipsum in seipso quid uitium, priusquam quotquot sint uitiorum species, singillatim inspectemus. Quod si, ut philosophorum uulgus uult, contrariorum scientia est prorsus una: iam is facile & nullo labore noscet, quid uitium est, quisquis nouerit ipsam in se uirtutem. Vtpote, & secundum genus ipsius suum, & etiam per singulas sui species è regione uitij stantem, ipsiq; uitio aduersantem. Si enim in mediocritate rationis sedes est uirtutis: mox labi à medio, & pauxillum à rationis excedere loco, erit uitium. Annexa est uirtuti honestas, debeturq; illi laudis & claritudinis præconium, ea quidem agenti, quæ sunt difficillima factu, & cuilibet per ardua. Cum ergo tantiorboris, tantæ ue constantiæ est pes hominis, ut nusquam lubricet à petra sua, nec sinat se ullo pacto abiungi ab unitate & pulchritudine rationis, tum ex uirtute per omnem uitam agens homo, dignus est laude. Cū uero noscit quidem ipse in rationis lumine quid bonum, quid ue eligendum: & tamen ab illicita appetitione se abduci eo usq;

Vitium quid.

Virtutis sedes.

usq; finit, ut adhæreat malo, & adsumat sibi ipsi id quod sit fugiendum: tum ruit in uitium, paratq; haud dubie sibi inhibita actionis uituperium. Quamobrem si ut uolūt omnes, faciunda in homine est distinctio insitarum appetitionum, ut unam rationalem, ceteram irrationalem, rationali obluſtantem uocemus: manifestum hinc erit, ut à rationali appetitione pendere uirtutem, ita & ab irrationali appetētia gigni illico uitij inhonestatem. Et tam uirtutem, quàm uitium affectiones quidem esse, uel potius habitus unius hominis, & non alterius ullius generis entium. Etenim quēadmodum idem aer nunc à præsētia solis affectus claritudine lucis gignit diē, & subinde ab illius absentia tenebras induēs affert noctem: ita & una est hominis substantia, quæ stans quidē in medio, comparat sibi uirtutem. Et quæ si glaciali pauxillum ueſtigio medium liquerit, protinus labitur in noctē, id est in clium uitiorū. Sed iam ubi expendimus quid uitium quid illi contrarium, à qua oriatur causa, & in qua demoretur substantia: de illius est iam distinctione & speciebus agendum, posteaquam ea prēmiserimus, quæ de amore sint præsenti negotio necessaria. Nam nemo est qui ab amore nesciat & uirtutum & uitiorum auspiciā dum esse initium.

DE AMORE VITIORVM CAUSA,  
deq; distinctione boni, uel ueri, uel apparentis.

Cap.

III.

**A**Mor, est insita hominis affectio: hominem quidem amonens, solius boni, uel ueri, uel apparentis specie.  
Habet

Habet profecto è regione sui amor haud aliud q̃ odorũ boni specimen: ad cuius adeptionem subiectum ipsum amoris igneo affectu, & nidore dilectionis illectus excurrit. Sed distinctio boni, unius quidem ueri, & alterius apparentis, atque ipsius interdum debilitas iudicij, & obnubilatio rationis, causa est distinctionis uirtutis & uitij. Causa inquam est, cur humanarum actionum siue motionum (omnis enim hominis actio, quedam est illius motio) quasdam uirtuti & laudi, quasdam uero uitio & uituperio demus. Sed fortè occurreret qui roget: unde hæc boni distinctio? Cum siquidem distinguendum est bonum in uerum, & in apparens bonum: quid istud (dicet) est: nisi interuallum quoddam boni & mali? Iam enim hæc utiq; dispartitio boni itura est in bonum & malum. Nam uerum bonum, erit illico non bonum: Et si non bonum, ergo malum. At qui nihil à Deo factum est malum: qui omnia & benè, & bona fecit. Vnde igitur amor in nobis fallit: qui sub apparentis specimine boni nos mouens, creabit uitium, dabitq; nosippos in actionis uituperium. Dicendum ad hæc est: Omne id quod creauit Deus, esse ex suaapte substantia & subsistendi natura bonum, & bene à Deo procreatum. Nec usquam esse quicquam in substantia sua malum: uerum ex ipsa duntaxat quantitate, ac mensura amoris, & ex ipsa efficacia uel debilitate iudicij offuscate rationis, distinctionem quandam oboriri boni & mali. Et exinde aliquid dici in nobis posse malum & fugiendum. Profunt equidem omnia, quin etiam & utilia & bona ea sunt, quæ creauit Deus in mysteriũ

Omne quod  
creauit deus  
esse bonum.

nistrium hominis, & digna etiam amore. Sed tamen  
 circa ea longe faciunda est amoris distinctio. Et ponen=  
 dus in nobis dilectionis modus. Ne in rerum utilium  
 amplexu & prosecutione earum, à desiderij nostri im=  
 petu in latera compulsi medium transgrediamur. Ne  
 incidamus in publicam philosophorum parœmiã: in=  
 hibentium, Ne quid nimis. Qua sapientes illi uctue=  
 runt supra medium quicquam amplecti debere : docen=  
 tes, in mediocritate consistere uirtutem : & omnem  
 quinetiam actionum nostrarum laudem. Et ut per ana=  
 logiam in uitio nunc uno compescamus amplius ora iur=  
 gantis : Nihil equidem eorum est malum, nil fugien=  
 dum, quæ in escam & potum contulit homini Deus.  
 Sed ubi excellens, & transgrediens medium esculentæ  
 rei uel potionis amor, mensuram stomachi & illius  
 capacitatem præ oculis non habet : Vbi non meminit,  
 haud parendum fluxæ uoluptati & titillantibus illece=  
 bris, sed depellendam duntaxat esse ab usu escæ & po=  
 tus solam famis & sitis necessitudinem: tum ab inhone=  
 sto & irrepresso amore escæ labimur in detestandam  
 ingluuiem : & à nimia potione in ebrietatem, corpori  
 non minus noxiam, & morborum causam, quàm uitu=  
 perabilem. Nulla igitur per se escæ mala equidem est,  
 uel fugienda. Quamobrem fugiendum intemperantiæ ma=  
 lū, qd' uarijs corporis harmoniã morbis & egritudini=  
 bus dissoluit, haud à substantia oboritur ipsius escæ uel  
 potionis, sed ab solius amoris inequalitate dispropor=  
 tionem in sumptione cibi & potus creatæ, & honestam  
 simul ac salubrem medijs orbitam transgrediunte. In cæ  
 teris

Modiocrita  
 tem ample=  
 ctendam.

teris quoq; uitijs, & in eorū obiectis, omnia eodē prorsus se habere modo, sicut in gula experiēre. Satis igitur in his factū erit prēmisse nuper obiurgationi: ut respōdeatur huic, qui de mali origine anxius, rem mouet dubiam: nihil equidem eorum quæ fecit Deus esse in suapte ipsius substantia malum. Accidere tamen malum & uitium in nobis, haud ab ipsa cuiusuis rei substantia, sed dum taxat à modo & circūstantia nostræ actionis, quæ cum pendeat ab amore, & ab nostri desiderij igne, interdum iustissimam mediij libram, is qui nos agit impetus excelsit: idq; tum, quod uocamus uitium, parit.

VITIVM HAVD ESSE REPONENDUM in genere substantiarum, sed in genere potius accidentium.

Cap. IIII.

**P**Etenti igitur à nobis, quid uitium: an inquam uitium sit ulla mundi substantia, male ab autore condita mundi: negabimus confestim id ita habere, dicemusq; uitium haud esse accipiendum in genere substantiarū, sed in generibus potius accidentium. Nā uitium, ut diximus, simplex affectus est, nascens quidem ab amore, non se erga eam quæ diligitur rem iusta amissi & æqua statera habente, sed eccellente medium: quod rationis tamen lux iubet, uult, docetq; esse sequendum. Et in quo sacra lex lora se mouentis animæ dicat esse sistenda, & coërcenda. Discurrat quidē si quis exempla postulet, per singula hominis uitia, pendatq; libramine iusto singulas in se mundi

mundi substantias, circa quas quodlibet uitium peccat: deprehendet mox iste sole clarius nullam sanè eiusmodi substantiarum in seipsa, & eo saltem ordine, quo ab auctore manauit deo, esse malam: imò uero bonam ualde, & dilectione etiam sua dignam inueniet. Sed tamen in amplexu, in dilectione & adeptione earum, prospiciet casu accidere id quod dicimus malum & uitium. Inspectemus, uerbigratia, quid gula, an forte per seipsam hominis alimonia. Nequaquam: Bona etenim est hominis omnis esca: sed nimius & insolens escæ amor, gignens noxiam corporis distemperiem, proculdubio exitialis, malus, & fugiendus est: paritq; is eam hominis luem, quam uocant gulam. Bona item est, & pulchra, & amabilis mulier, data (nemo nescit) à deo, utili uiri socialitio, & adiutorio prolis faciundæ. Sed cohibeà circa amorem illius sunt labantis animi flammæ, & tegendi pudore lubricantes oculi: ne hi interiorem rationis oculum à muliebris decoris nitore extra se procliuè infatuent, & hominem exinde efficiant haud bene sui competentem iuris. Bonus rursus, & necessarius est reparandis à diurno labore uiribus somnus. Attamen à nimij corporis quietudine sinere se obrigescere in incudis uel lapidis speciem, & ad honestas actiones fieri prorsus inhabilem, id planè ex sanctitudine & dictamine rationis non est: Et nec minimam in se habet inhonestatem: prorsus tam fugiendam, quantum priuatæ, publicæq; utilitati incommodam. Et quantum etiam humane disconuenit pulchritudini, hominis substantiam uerti in statuum: Ieu uiuum hominem à letheo somno uolui in rem prorsus

Gula.

Luxuria.

Acedia.

o sus

sus exanimem, sibiq; ipsi ante uitæ periodum fieri se pulchrum. In cæteris istud idem uitij experiere: uidebisq; omnem profecto substantiam, erga quam uitium quodlibet peccat, & in latus flectit rationis habenas, esse equidem in seipsa non malam: Imò uero bonam & amabilem: nempe huius commodis uitæ apprime necessariam. Sed ab solo affectu amoris, quo sponte ipsi excurrimus ad illam ipsam nobis cõparandam, nasci uitij & malum. Cui ideo iustè inter substantias dedit locum nemo. Sed inter accidentia, dixerit melius quilibet, uestigandam esse illius sedem.

IN SUMMA SUBSTANTIARUM, id est in summo bono, non contingere amoris peccatum.

Cap. V.

**S**ED quia interim peccat amor circa eiusmodi substantias, ad quas ab ignea ipsius instigatione mouemur: uidendum iam scrutandumq; est, an nulla forte substantia usquam sit hætenus à cæteris dissidentanea: In cuius amplexu & ambitione securissime nauiget amor, ab obuiio peccati scopulo & naufragio prorsus immunis. Huic postulationi danda sua responsio est, per eius excellentiã substantiæ, quam & quondam, & nunc etiam cuncti sapientes, summum bonum dixere. Sedet enim in substantijs ipsa quidem boni & diligendi ratio: uerum haud in cunctis earum hæc dilectionis uis latet infusa. Quamobrem si non quælibet substantia est illico summe per se bona, dicemus etiã haud statim substantiam

stantiam quamlibet summo & præcipuo à nobis amore esse diligendam. Ipsa autem summitas, & excellentia bonitatis cum sit numeri & multitudinis nescia, cum diuidi in plura recuset, in una tantum substantia sedet. In substantia inquam prima, uelut in fronte & origine substantiarum, & bonorum omnium, & totius substantiæ & bonitatis causa. Hæc ergo nimirum una & sola summi boni nomine est honoranda. Et amore insuper non gregario uel mediocri, uerum excellenti & semper se amplius intendente diligenda. In huius solius dilectione substantiæ amor non peccat, nisi forte ex defectu, id est, ex algore, modicitate sui. Si forte minus illi dat, & minus eam diligit rem, quàm ius immensitatis, & scopus excellentis bonitatis postulet illi dari, & iubeat eam amari. Quanto enim in nobis, eius substantiæ amor fuerit intensior, tanto hic & laudatior, & commendabilior fit. Imò uero plus equidem & sæpius peccat eius substantiæ amor in modicitate & insufficientia flammæ suæ, quàm in assiduo sui ignis, suæ uel charitatis incremento. Vt qui quanto amplior erga eam incaluerit, tanto nos illi propiores inferit. Et si algore ullo tepens refriguerit: nos illico ab ea substantia summe bona, & propter seipsam summo amore diligenda, longius abesse patitur. Et quanto longius, per defectum amoris à summo eiusmodi abscedimus bono, tanto non dubium, contrario efficiamur uiciniores malo, à quo sit procul eundem. In cæterarum omnium substantiarum dilectione ipsa feruescens amoris excellentia peccat. Cuius ideo noxia nimis flamma, in rebus mediocriter bonis,

O 2 algore



algore sit & refrigerij imbre conspergenda. Et crebre  
scens supra mediū illius calor, rationis & uirtutis scu-  
tica sedāndus. Ne ad id, quod est mediocre, & non sum-  
me bonum, nubilus noster affectus intensissimo amore  
excurrrens, nec æquum bonorum discrimen faciens, di-  
ligendi ordinem præuertat, & in amando peccet. Qua-  
propter ex his tandem cōficiemus, humanum omne ui-  
tium, esse unicam prolapsionem amoris. Cum scilicet a-  
gimur in id quod mediocriter est bonum, quod parce  
& sobrie diligendum, tanquā si in summi boni littus na-  
uiculam totis remigijs nostram impingeremus, damusq;  
temere uni, quod alteri sit tribuendum.

QVIDNAM, ET QVATENVS  
inferiores substantiæ sint à nobis dili-  
genda. Cap. VI.

**P**orro iam à substantia eiusmodi summè bona, præ-  
cipuo amore propter se, & summè diligenda, ad  
inferiores substantias paucillum summissiore oculo re-  
labamur: uideamusq; quoadusq; & quatenus illæ, quas  
nobis ut utiles summè bonus obtulit deus, sint à nobis  
diligenda. Et quidnam in se habent prosequutione di-  
gnum, quid uē fugiendum. Omnis enim inferior substan-  
tia, quam propter hominē fecit deus, suum in globo ho-  
minis habet finē. Et si in eo fine, cuius gratia, & pro-  
pter quem quodlibet ens donauit homini deus, fruatur  
homo ente quolibet: manifestum est quoniam hactenus  
non peccat: imò rite, & ex uirtute agit is, qui iuxta in-  
tentionem & modum sui finis cuiuslibet substantiæ frui-  
tione se imbuat. Nam si facta est propter hominem esca,  
identi

identidem & potus, ut satient hominem, depellantq; ab eo sitim & famem: nemo est qui in sumptione esculentæ rei & potionis iurgetur peccatum eatenus committi. Etenim edere & bibere nihil habent in se mali. Ut igitur edoceamus ubinam in fruitione inferiorum substantiarum aut accidentium scatet nonnihil mali, dicimus ab hominis oculo perspicienda esse duo: necessitatem scilicet, atque uoluptatem. Hæc enim duo in cuiuslibet inferioris substantiæ adeptione & participatione, necnon & in necessarij accidentis usu, ab ipsa summi opificis dei sagacitate & sapientia nõ defunt. Tam belle enim creauit omnia deus, ut in rei necessariæ desumptionem uoluerit à specimine, à pruritu & mulcebra uoluptatis illiciti hominem, & inter utriusq; mediũ parari illi grande sensuum & rationis duellum. Esuriret fortè homo, fameq; obdormiscens tabesceret in seipso, nisi illiciente interdum uoluptate traheretur ad escam. Escæ quidem & necessaria homini est: & uoluptatem nihilominus, in se deliciasq; etiã non modicas insitas habet. Quæ si mulcebris deliciarum, & insitæ uoluptatis dulcedine caret, amor fortasse hominis erga illam tepens frigesceret: & obliuisceretur fortè homo tantisper indulgendũ esse genio, quoad fiat satis cum affeclui famis, tum uiribus solidandis. Somnus identidem & necessitatem homini affert, & uoluptatem. Necessitatem quidem, in uirium reparationem: uoluptatem, in solutionem laborum & uigiliarum. Dic idem de muliere, & ijs substantijs uel accidentibus, in quibus peccans insolens hominis amor, uitium gignit. Quia igitur distinguimus in cuiuslibet

inferioris substantiæ, uel necessarij accidentis prosecutione duo hæc, necessitatem, & uoluptatem: iam in hoc littore sumus, ut dicamus, quoniam plus & sæpius peccat amor hominis, quoties quidem necessariam qualibet rem magis à uoluptate, quàm à necessitate illectus, ambit ac diligit. Nam necessitas in rebus finem modumq; habet: uoluptas assidua & sine mensura est. Qui escam sumit soli depellendæ fami, hic utique depulsa fame satur, finem tandem sumendæ escæ faciet: eum quem illi uel honestatis lior, uel farti stomachi nausea, oboriensq; fastidium imponet. At is qui ob solam linguæ uoluptatem, & libandam delectabilis escæ dulcedinem, stomachum uel quauis esca uel potu farcit, cum finis sit dulcedini & uoluptati escæ uel uini nullus, hic mox ab accidentis finem non habentis amore, labens in intemperiem, distento supramodum uentre, de homine monstrum conflabit enorme. Nam sine carens uoluptas, hians semper ore ingeret plus, quàm capere queat breuis alius, & quam deinceps egerere sufficiat angustus & sæpe impeditus alicunde anus. Mulier identidem amabilis ea quidem est, cum ob gignendæ prolis necessitudinem, tum ob pulchritudinis speciem nec minus ob commutationis uoluptatē. Errat igitur hætenus ac peccat amor uiri erga sexum comparilem, cum peramplius illum solius fluxæ & prætereuntis cum pulchritudinis tum uoluptatis desiderio, quàm gignendæ prolis æstu sic flammescere in se finit, ut prorsus infatuetur, ut iam, instar Herculis, non meminerit sui: Ut uic patiatur se uerti in ancillam, aut in bestiam. Illam uero nil erubescat supra se extolli

se extolli uelut dominam, imò deam. In alijs quoq; hominum uitij res eo se prorsus modo habet, ut si erga quâlibet substantiâ sibi uendicandam noster amor ad dexteram ob eius solam necessitatem auriget, nusquam is erret aut peccet. Si ad leuam uoluens aurigationis habenas, soli uoluptati & liuienti illecebræ inhiat, mox à recto in latus titubet, & imminenti uitio infaustas manus det.

## DECVRSIO A NOMINE

generis uitij in ipsas singulas species

uitiorum.

Cap. VII.

**S**ed iam opportunum est, post distinctionem substantiarum, quarum in quibusdam peccat & in quibusdam non errat nec peccat noster amor, ut ab ipso generatim uitij nomine decurramus in numerum, & in singulas species uitiorum. Septenario solet numero uulgus humana dispartiri uitia, quæ uocat Superbiam, Irâ, Inuidiam, Auaritiam, Luxuriâ, Gulam, Acediam. Videamus igitur quæ ratio eorum, quæ causa numeri, atq; item circa quam quodlibet uitium substantiâ peccet, aut in quo accidente deuiet. Et quæ ex ijs identidem uitij sibi cõfinia, & quæ maxime sibi sint dissimulata. Hoc enim perfectio negotio, istud quæ suo fine perbreue opus claudemus. Vt igitur discutiamus & ratione ordinis, & causam numeri istiusmodi quibusde agimus uitiorum: ab insolenti amore, uelut uno & publico fonte nascetiũ, perspiciedæ cũ primus sunt intraneæ appetitiones hominũ, quæ hominẽ quaquauersum aut in bonũ, aut in malũ mouent. Solent quidẽ hi, qui de moribus lo-

o 4

quantur

Duplex homi-  
nis appetitio.

Rationalis.

Irrationalis.

quantur, hominis appetitionē duplici cū primis funiculo  
partiri: in rationālē. & in irrationālē. Rationalē dicūt,  
eam, quæ in medio stabilem figens pedem, nusquā à utro-  
tute & honestate dissentit. Irrationālē uocant, quæ me-  
dium utrobiq; linquit, id est quæ perniciū alarum re-  
uigijis sursum nimis aspirat, aut quæ pressa nimio blan-  
dæ carnis pondere, uestigia in luto fingens, desidet in  
imo. Sed cum omnis appetitio obiectam habeat è regio-  
ne sui quampiam rem, ad quam titillans ipsius pruritus  
hominem mouet: Distinguenda etiam ipsa obiter sunt,  
obiecta singularum appetitionum irrationabilitū, à qui-  
bus emanant fugiendæ istiusmodi sordes uitiorum. Duo  
præsertim sunt quæ cuncti homines diligunt, Honor &  
uoluptas, quorum adsequendorum gratia nemo ferè ho-  
minum sapino pectore torpet, nullus non multo se labo-  
re mouet. Cum in ijs igitur duobus adsequendis huma-  
na appetitio flammescens transgreditur orbitam mediij,  
id est uel cum supra medium fit, uel sub medio inter uo-  
luptatum illecebras ob-ormiscit: tum in hæc uitia ho-  
minis appetitio sese apperrens procul à naufragio non  
est. Nimia honoris appetitio, quæ hominem haud dubie  
supra medium effert, Superbiam, Irām, & Inuidiam, ui-  
tia inter se confinia gignit. Amor autem & desiderium  
carnis, fruitio ue fluxæ uoluptatis, sub medio hominem  
faciens, uitia nō minus inter se confinia parit hæc tria,  
Luxuriam, Gulam, Acediam. Quamobrem, si rite con-  
spiciabimur partes humanæ substantiæ, id est connexam  
sibi naturali Himenæo animæ & corporis dyadem, nō  
absurde iuxta mensuram & normam eiuscæ dyadis hu-  
mana

Appetitio hono-  
ris quæ uitia gi-  
gnat.

Amor uolupta-  
tis quæ.

mana distinguemus vitia, reponemusq; eorum tria in  
 coercenda nimium sese effertis animæ leuitate. Et alia  
 rursum tria in subleuando pondere carnis, id est in casti-  
 ganda illius illecebra deorsum carnem illiciente. Et si iu-  
 xta vulgi prouerbum, inter frenum & calcaria reposi-  
 ta est omnium lanx & statera: etiam tria reperiemus vi-  
 tia quæ freno reprimi postulet, & tria, quæ calcaribus  
 urgeri & sursum agi egent. Coercenda enim freno sunt,  
 eorum uitiorum labes, quæ ab alata animæ elatione, ex  
 nimia honoris appetitione nascuntur. Castiganda autem  
 sunt, & in ante urgenda calcaribus ac stimulis foeda eius-  
 modi uitiorum monstra, quæ à pondere carnis, & à de-  
 siderio fluentis uoluptatis nata, & retrogradiuntia hu-  
 mano decori obsunt. Non ab re igitur, decantatum à sa-  
 cris eloquijs, istud prouerbum audimus: Omne regnum Matth. 12  
 in seipsum diuisum desolabitur. Nempe à uitijs oritur in Lucæ. 11  
 homine istiusmodi periculosa diuisio, quoties à contra-  
 rijs motibus, uti ab attractu, & ab impulsu, à freno &  
 calcaribus dispartiēda rite humanorum uitiorum series  
 est. Nam superiora tria vitia quia & nascuntur ab ani-  
 mæ elatione, & excellunt medium, attractione & atri-  
 ctione habenarum, reuolui egent in imum. Inferiora au-  
 tem tria, quæ per ignauiam sub medio desident, & in il-  
 lecebrarū luto & in uoluptatis inglutie segniter obdor-  
 mescunt: hæc à scuticæ castigatione sunt uel sursum ab  
 imo, uel in ante à tergo repellenda.

ESSE IN HOMINE ET TRES

& tantum duas appetitiones, à ratione

degeneres.

Cap. VIII.

o 5 Distinx

Amor habendi.

**D**istinxiimus humana hactenus uitia duplici tantum tryade: una enim eorum tryas est, quæ summum nimis euolans à medio, Superbiam, Iram, Inuidiam comprehendit. Confinia etenim sunt, tria eiusmodi uitia, nempe ab alato animæ desiderio, Id est ab honoris amore nascentia: Cetera uitiorum tryas est, quæ à graui uoluptatis incude & pondere carnis nascens, sub medio decumbit. Et hæc tria etiam uitia Luxuriam, Gulum, Acediam sub se habet. Vnde igitur iam uulgatum perficiamus, & publicum uitiorum numerum, id est septenarium: si saltem haud plures quam duas in homine appetitiones rationi oblucentes, Et ideo non ab re irracionales & oblique aurigantes stabilimus: scilicet appetitionem honoris, & amorem uoluptatis: quarum funiculis, humana iam sumus uitia, uelut biuio quodam in contraria hominem diripiente dispartiti? Atqui placet quidem plerisque doctis præter has duas supputandam esse in homine appetitionem tertiam etiam à ratione deuiam, quam uocant, amorem habendi: indubitatam, & certissimam, insatiabilis auaritiæ causam. Nos uero quanquam ab istis nihil dissentiamus, nec diffiteamur reponendas in homine esse appetitiones citra rationem tres, nihilo tamen minus dicimus tertiam istam, quam uolunt appetitionem habendi, haud esse à prioribus duabus distinguendam. Nam cum præter æquitatem, & citra rationis medium feruescit insana appetitio habendi: usque adeo, ut hæc semper sitientem, & nullis explebilem bonis gignat auaritiæ hydropisim, manifestum tamen est, hanc habendi appetitionem non statim in seipsa esse stabilem,

bilem, & nec illico suum in se habere finem. Sed confestim hanc unam diuidi, & reuolui in ceterarum duarum anfractus: Id est, aut sursum in honorem uertere, aut deorsum labi in uoluptatem. Nemo etenim congerit diuitias sibiipso, duntaxat ob faciundum illicitum diuitiarum cumulum: sed ditari & locuples fieri ad id quisque uult, non modo ut ab alto diuitiarum agere sese aduersum triste & formidabile multis inopie malum tueatur: sed ut tandem à partis questitisq; diuitijs uel fastus sibi comparet honorum, uel se turpi ingluuie satiet fluentium uoluptatum. Diuitiæ itaque cum finem nanciscantur suum, uel in honoris culmine, uel in fece ac palude uoluptatis, nihil aduersum nos iurgari poterit quis, quia dixerimus, duas tantum esse appetitiones à loro rationis deuias, quæ uel in sublimia honoris uexilla cristam eleuent, uel in uoluptatum paludes, à medio deorsum aurigent, Et à quibus cuncta facile emergant hominum uitia. Quamobrem si iustam disquiramus, auaritiæ sedem, si illius humana inter uitia aptum uestigamus locum, reperiemus dandum illi esse infelix solum in medio axe superiorum & inferiorum uitiorum, utpote uelut cunctorum altricem uitiorum, diuitijsq; cumulandis ea solum de causa inhiantem, ut uel in apice, sursum nimis scandentis animi disquirendis honoribus sit præsidio, uel in carnis deorsum labētis pōdere, fluentiū uoluptatum illecebris necessarias opes subministret. Nā sicut in uacuitate bonorum & inopia frigent ac tepent animi uitia: ita & in diuitiarum abundantia earum crebrescunt incendia. Et  
si quis



si quis in medio uitiorum loco stantē pingere uult auaritiæ effigiem, debet unam illius manum protendere ad Superbiam, Iram, & Inuidiam, uelut à turgente crumena, uel xista opes illis porrigentem. Reliquam manū expandere debet ad inferiora uitia tria, uelut etiam à pinguibus loculis propinantem illis, unde frui diu, expetitis liceat illecebris. Sed quanquam congerit opes satiari ne scia auaritiæ lues, ut ceterorum forte ab eius oleo alantur uitiorum flammæ: id tamen mali ipsa habet (utpote, quia uitium est, & malum) quod hæc nequaquam suo didicit sine uti: Id est, nec honoribus nouit, nec bene uoluptatibus frui: sed in seipsa sterilem semper, & infœcundam figit congestarum opum aream: Adeo ut nō ab re de auaritia sonet prouerbium: Vnius quidem esse congerere gazarum, cumulum: & alterius, congestam hæc pinguem nummorum popinam, uel in necessarium, uel in superfluum spargere corporis usum. Et si apponenda est cursim eius pallidæ & emortuæ labis analogia: dicemus quia Augustus mensis ea legit è terris semina, quæ spargit September: nimirum exanguem auaritiæ labem soli Augusto mensi apparrere similem: utpote latam seminum, id est diuitiarum aream, & pingua horrea congerentem: & nihil postea seminis hiantibus terre sulcis reddentem, nec futuri anni segeti, & annonæ prospicientem. Tolle igitur, & separa Septembrem semina ferentem ab Augusto, rite iam pingis auaritiæ suo penicillo, qui tollis usum diuitiarum à congesto, & superfluo earum cumulo.

Quenam

QVAENAM SINT SINGVLA VITIORUM obiecta: & an sint substantiæ, an  
accidentia. Cap. IX.

SEd iam obiter lustremus, ipsa peculiaria singulorū vitiorum obiecta, circa quæ ipsa uersantur & oberant singula: uideamusq; cum primis, an in accidētibus, an in substantijs ipsa huiusmodi peccent. Diximus in primis fontem quidem & scaturiginem uitiorum omnium prodire ab amoris hallucinatione, seu ab infatuata dilectione rei, haud usquequaque propter se diligendæ. Cum igitur amor sit quiddam è genere accidentium (Nempe affectio sola animi) manifestum est, ab accidentaria origine, & à leui causa, cuncta nasci hominum uitia. Quoties autem oliquantem eiusmodi amorē, uitiorum omnium fontem, in geminos tantum funiculos partimur: id est, in amorem honoris, & in dilectionem uoluptatis: etiā hinc fit, ut primaria & anteliminaria uitiorū obiecta: id est honor & uoluptas (quæ è limine & prouestibulo mundi prurientem hominem cient) in genere sint accidentiū, & secundorum entium reponenda. Cæterum cum cuilibet accidenti & leuissimo enti præbeat solidior substantia fulcimentum, & sedem in se subsistendi: scrutemur modo, in quarum hæc accidentia substantiarum gremijs demorentur. Diximus iam amorem, cum qui excessu lapsuue suo uitia gignit, sedem habere in homine. Ut qui contrarijs unus uirtutum & uitiorum affectibus subest. At uero à quibus mundi substantijs, stantibus è regione hominis, emergant hæc duo, honor & uoluptas, dicendum ocysus est, ut melius singularia, & propria cunctorum  
rum

**Acedia.**

rum uitiorum obiecta rimemur. Ascendamus cum primis scalam hanc ab imo, & ab ipsa fece uitiorum, id est ab acedia, quæ per ignauiam in imo marcens, & ab omni actione frigidas manus soluens, letheo in se somno humi prostrata obdormiscit. Et quasi in ligneam, uel lapideam statuem, uiuentem hominem, mortuo haud absimilem transmutat uertitq; illius etiam domiciliū: inops quidem, incultum, & omni uirtutum suppellectili uacuum, uelut in uiuentis & nihil facientis sepulchrum. Acedia igitur, sub reparandarum uirium fūco, & inani capessendæ quietis colore, uelut diurno fessa labore, uoluptatem & delicias, capit in solo accidere, uti in somno, quæ est diurnarum actionum solutio, quædamq; dierum cum noctibus æquatio, seu necessariorum operum uituperanda intermissio. Gula super acediam uno locata gradu, nequaquam in accidente peccat: sed sub cotidiani specie alimenti: dum in ciborum & potionum substantia inanes delicias sectatur, etiam à deliciarum dulcedine facile in excessum, in distemperiem, & uentris distentionem labitur. Hactenus corpori noxiam, quatenus elementaris harmoniæ & iustissimæ proportionis solutricem.

**Gula.****Luxuria.**

Luxuria, substantiam etiam, in qua erret, præ se obiecta habet, uti mulierem: nititurq; in eam à colore & specimine faciundæ generationis, seruandæq; prosapie. Sed dum ab iusta necessitate stirpis propagandæ, in excessum noxiæ & inhibitiæ uoluptatis, fluxas sine modo soluit habenas, tum uitium est, & nec malo, nec peccato caret. Auaritia quam locauimus in medio axe uitiorum, etiam ante oculos, obiectam habet nummorum totius ue

**Auaritia.**

tiusue necessariae suppellectilis substantiam. In qua, dum  
 colorem & fucum necessitatis, ob uitandum inopie ma-  
 lum reponit, uigili sollicitudine aggerit sibi superfluum  
 earum cumulum. A cuius tamen usu, suapte ipsius cupi-  
 ditatis libidine prohibetur, nesciens ab eo progredi in  
 uel honoris, uel capiundæ uoluptatis biuium. Diximus  
 enim auaritiæ labem suum in se non habere finem, Sed  
 uel in honoris culmen hanc sursum nimia leuitate agi,  
 uel deorsum in uoluptatis paludes illius oculum nimio  
 pondere reflecti: Et eam insuper tam superiorum, quàm  
 inferiorum esse uitiorum ancillam, & famulam. Ast Su- *Superbia.*  
 perbia, Ira, Inuidia, quia pari & confini honorum de- *Ira.*  
 siderio languent, ideo tres eiusmodi labe in solius ac- *Inuidia.*  
 cidentis fumo peccant, nullam præ oculis substantiam,  
 circa quam negociantur, habentes: nisi dum inquan-  
 tum dominij & prælationis ius, hominem unum ni-  
 mis superferri cæteris postulat: is eo flatu per nimiam  
 sui extollentiam, & elationem deuius à medio: nauim  
 in syrtes impingit, piaculumq; committit. Attamen su- *Superbia.*  
 perbia, cum in ipso honorum desiderio, & animi ele-  
 uatione sit facile prima: renuens quidem ipsa & olfa-  
 cere à latere parem, & susserre superiorem: ideo ex- *Ira.*  
 tenta manus illius cunctorum uexillū fert. - Ira gradu  
 uno subsidet illi: cuius quidē color est ab honore minus  
 impenso, leuiter offendi, & sumenda è proximo ultio-  
 nis appetitione, intus aduri. Sub ira locamus Inuidiam, *Inuidia.*  
 eiusmodi quidē colore, ac fūco nitentē, ut detrectet parē,  
 coneturq; calce deprimere eū oēm, qui se cū ea pari sta-  
 tera aut eodē scabello sedere autumet. Deniq; in acedia,  
 aut in


ut in omnium uitiorū Hypostasi, reponemus substantiā  
solam, & actionem penè nullam. In Gula locabimus ui-  
tam, & alimentationis studium. In Luxuria sensum. In  
auaritia, cunctorum uitiorum famulitium subscribemus.

CONFECTIO ET DESCRIPTIO  
figuræ uitiorum. Cap. X.

CONflabimus igitur ex his que allata istuc hætenus  
sunt, cur nō ab re ueteres docti præcipua hominum  
uitia septenario sint numero dispartiti: Idq; nō tam equi-  
dem ad septenarij mysteriū respicientes (dū in his quæ  
mala & fugienda sunt, caſa prorsus & perpera sit my-  
steriorum indagatio) quam necessitatem ac sufficientiam  
ipsius eorum ordinis, simulq; humanarū distinctionem  
partium præ oculis habentes. Et cum experiamur id  
ubiq; accidere, ut malum sit suapte natura aduersarium  
bono: si quis forte, etiam in malis nonnihil mysterij scru-  
tetur, nec iste utiq; falletur. Cum certe sit idem mali, ut  
& boni numerus: & proportionabilis uitiorum ordo,  
sanctissimo ordini uirtutum. Hinc par est lima, & scien-  
tia prorsus una amborum, si labi à uirtute, est ire ac re-  
flecti in uitii. Etenim eodē circino metiri nos ambireq;  
deceat uirtutum & uitiorū circulū. Vt igitur ex agnito iā  
ordine & numero & sufficientia uitiorum conslemus  
ocularem eorum figuram, cuius aspectu ipsa quidem ui-  
tiorum series per amplius rudibus oculis innotescat. Hu-  
manam cum primis substantiam, ueluti uitiorum sedem,  
suapte dyade, id est anima & corpore particimur: il-  
liusq;



ad in amicum uitiorū. Hæc estasi. reponemus substantiā.



liusq; desideria & amores, uti ipsas uitiorum causas, hinc sursum agere hominem, hinc deorsum corripere illum subscribemus. E regione autem animæ pingemus tria eius uitia, Superbiam, Iram, Inuidiam, uelut supra medium scandentia. E regione porro corporis scribemus & alia uitia, identidem tria: Luxuriam, Gulam, Acediam, ut oboriuntia ab illecebris & carnis uoluptate, ita & labentia infra medium. In medio autem omnium è regione & ex aduerso hominis pingemus Auaritiam, gemina quidem brachia, in diuersas partes exporrigentem: uelut utriq; uitiorum generi necessarios sumptus largientem, ut qui diximus partarum diuitiarum finē aut in honore, aut in uoluptatis fruitione esse reponendum. Iuxta uero honoris circulum reponemus frænum: & iuxta uoluptatem scribemus scuticam, inferiora uitia castigantem. Et ex aduerso uitiorum singulorum locabimus eorum obiecta, in quibus singula peccant uitia, scilicet dominium, ultionem, odium, bona fortuna, mulierem, escam, potum, & somnum. Superbia enim languens solo imperandi desiderio, nullum extolentiae suæ ponit modum. Ira acerbo sumendæ ultionis igne incandescens, persepe à furore icta, manus quas aduersario inferre cogitarat, sibi ipsi dolore uicta infert. Inuidia dum parium odio in se contabescit, & cor & præcordia sua intestino dolore intra se erodit. Auaritia erga congerenda fortunæ bona insatiabili ardore languens, nil sibi satis habet. Luxuria in muliebri uoluptate sub faciundæ prolis specie peccat. Gula, in cibi & potus dulcedine insatiabilem reponens uoluptatem,

Auaritia.

Superbia.

Ira.

Inuidia.

Luxuria.

Gula.

p noxiam



*Acedia.* noxiam corpori parit ingluuiem. Acedia letheo somno marcens, non modo actioni fit nulli idonea, sed in statuam etiam, inq; lapideam duriciem uertit hominem. Quapropter non ab re docti omnes acediam dixerunt omnium uitiorum esse fecem, & uelut extremam eorum colluuiem imamq; paludem: qua demersæ, & luto obuolutæ uires hominis, eum faciunt non longe à mortuo, uel ab examini arboris trunco discrepantem.

OMNE HOMINIS VITIUM

esse & Acediam, & Idololatriam  
quandam.

Cap. XI.

**V**Bi iam & originem edocuimus uitiorum, id est infatuatum amorem: ubi & eorum deteximus ordinem, & numerum, & discrepantiam, & obiecta ipsorum, & sufficientiam distinctionis: restat ut presenti opusculo suam oportune metam locemus. Sed subiit adhuc dicere istud unum, ut quia nuper de acedia, finem fecimus dicendi, quam uocauimus extremam uitiorum omnium colluuiem, & ut fecem, & paludem, ut etiam, omnia quidē uitia, reuoluamus in incudem acediæ, id est in pergrauē & inutile pondus carnis: inq; cuiusdam somnolentiæ lutum. Atq; audaces asseueremus, imò cuiusdā etiam loco parcemue decantemus, Omne equidem hominis uitium quandam esse acediam: & rursum, omne etiā uitium hominis esse idololatriam quandam, & cultum idolorum. Vtraque enim parcemia, eiusdē prorsus cause, & rationis habet colorem. Omne empe hominis uitium

tium, segnicies quædam est, & pergrauè pondus animi, nequeuntis uel digredi à seipso, uel è re non præcipuo & potissimo amore digna exilire, & assurgere ad supercilium amoris summi boni, præter quod nihil est à nobis, totopere & summa primâq; sollicitudine diligendum. Et ne in tenebris hæc dicere uideamur, inductio per singula excurrens uitia, eius rei fidem dabit. Quid quæso, superbia est, quàm segnicies, & desidia quædam animi, sic in suis ipsius amore, & æstimatione, uelut in idolo decumbētis? ut causa sui obliuiscatur superba mens dei. Et ut plus amet seipsam, quàm deum? Quid etiam ira, nisi pondus animi, & pusillanimitas quædā ipsius, affixi, & pigri, in affectu sumendæ è proximo ultionis, & alterius offensam generoso affectu indulgere & ignoscere non ualentis? Inuidia quid aliud ipsa habet, quàm quod pusillum & pigrum ligat animum, ut parium liuore in seipso contabescat, nesciatq; de proximi & uicini prosperitate, sicuti & de suo ipsius bono gaudere? Nonne etiam per auaritiā oppigrescit ac desidet animus in superfluo partarum diuitiarum cumulo? conflâtq; sibi ante oculos æreum idolum, quod domi solitaria ueneretur? Et per quod plus equidem amet fluxæ rei emolumentum & lucrum, quàm deum? Luxuria carnis delusa specie & pulchritudine, nōne etiam desidet ac pigra recumbit in idolo muliebri, cui interrim diuinum honorem tribuens sic inseruit, ut obliuiscatur & sui, & dei? Gula nōne uenter est deus, & regnum dei, iuxta eloquiū, esca & potus? Acediæ, uiciorum omnium feci, nōne solutio uirium, intermissio actio-

Superbia.

Ira.

Inuidia.

Auaritia.

Luxuria.

Gula.

Acedia.

p 2 num,

num, quies'ue & somnus est id, quod dicitur deus? Non longe igitur à uero aurigamus, asseuerantes omne hominis uitium esse & acediam, & idololatriā: quod quidem grande malum deuitat mens, cum discutiens, & abiiciens à se obscuram oculorum & sensuum omnium nubem, in nullius sub cœlo rei, sicuti in dei, & summi boni amore, stolidè affigi se finit. Imò cum è uilium rerum dilectione, habilis, prompta, leuis, & felicibus acta remigijs, generose emergit ab imis, atq; in dei solius, perpendiculo recumbit. Et in eius amplexu, qui solus, propter se dignus est amari, diligere, & coli, nullum pauens naufragium, nullas offendens syrtes, aut scopulos, suæ totius nauigationis ancoram figit. Mens igitur alata, corpore fecis, & lutulenti ponderis exars, huiusmodi segniciem & ignauiam facile à se excutiet, ut nullum sibi sub cœlis idolum creet. Nec quicquam omnino eorum quæ sunt plus amet, quàm summum bonum, id est quàm deum: cuius dilectio nescit malum, cuius immensum æquor nullum securè nauiganti affert detrimentum nauium. Quamobrem, in uitiorum omnium medelam optimum istud homini est, ut Ioanni Climaco placet, ad rem prorsus nullam affectum habere uitiosum, qui hominem cum ea re liget, quæ tolli & separari ab eo queat. Bonum etiam illi est, cum Apollonio Thianeo sentire, ac dicere, nihil amo, & hoc ipsum solum amo. Difficile quippe est hominem cuius iussiam rei affectu & amore sub cœlis illigatum, esse uere liberum, aut non habere penes se quod ueneretur idolum, aut amare sicuti decet deum.

DISPAR

## DISPARTITIO HUMANORVM

uitiorum: sicut à partibus humane substantiæ,  
ita & à geminis ætatibus mundi.

Cap. XII.

**S**ed sicuti secuimus, & dispartiti iam sumus hominum uitia à partibus humane substantiæ, id est ab anima & corpore (diximus enim quedā esse alata sursum uel scandentia animæ uitia, & quasdam etiam labes feculente carnis: Auariciam quoque locauimus in eorum medio, uelut utriusque uitiorum generi famulantem) ita & nunc decet, ut & à temporum ætatibus ea obiter dispartiamur. Tota etenim atque uniuersa mundi duratio, cum sit ut unius ætas hominis, nimirum uestigia in se habet animæ & corporis. Et nec ab re hæc iuxta humane substantiæ partes, se probat distinguendam. Videamus cumprimis quæ sit faciunda humanarum ratio & proportio partium, ad geminas ætates mundi: id est quenam pars humane substantiæ sit consentanea primæ mundi ætati & quæ postremæ analogæ. Nolimus enim nunc ut faciunt complures, septenis ætatibus dispartiri omne mundi tēpus. Sed sat erit nobis ad præsens dyadem, dyadi conferre, id est omnem mundi durationem in tantum duo secula distinguere: sicuti & hominem iuxta ratio & causa duplici tantum parte postulat distingui. Quia igitur perficitur prius in materna corpus hominis aluo, quàm anima incipiat exoriri in illo: ideo & in quolibet homine, & rursum in ipsa tota humana specie priora exoriuntur uitia carnis. Postea uero pullulascunt eiusmodi uitia, quæ animam labefaciunt. In

prima siquidem mundi ætate, quam produnt historie fuisse immanium altricem gygantum, per amplius uitia carnis floruerunt, Luxuria, Gula, Acedia. Minus adhuc in ea pullularunt uitia ea, quæ dicimus esse animarum. Procluior enim est hominis iuuenta, ut in carnis sordibus, more suis uoluetur, quàm senectâ. Aetas nempe hominis quò maturior fit, tanto etiam uelut animo elatior, ubi carnis uitia edomuit, & à scutica sobrietatis ea castigauit: tum in uitia animæ, uti in Superbiam, Iram, & Inuidiam, propensior fit. Et quò per tempus, hæc in annos adolescit, eò per amplius ab adipiscendi honoris libidine efferuescit: hinc fit, ut uniuersi ætas & duratio mûdi, pari sit circino, in mysterio, cum unius hominis ætate metienda. Et ut in maiore mundo, quanto hic amplius annorum lapsu senescit, ut tanto, sacrum uult eloquium, homines fiant in eo, statura quidem minores, sed malicia deteriores: id est per amplius superbi, iracûdi, inuidi. Perdidit diluuiò Deus, ac lauit primâ mundi ætatem, carnalium uitiorum sordibus squalentem. Qui etiâ celebratur in igne, & in flamma deuorante postremam mundi ætatem ab ignitis spiritualium uitiorû morsibus, ut à serpentibus laceram, & eorum uenenis gutture tenus imbutam perditurus, supremo uel daturus excidio. Quod si placet cuiquam in septenario uitiorum numero geminos supputare elementorum ordines, comparabimus extremam hypostasim, & omnium fecem uitiorum Acediam, elemento terræ: Gulam equilibrabimus aquæ: Aëri conscribemus Luxuriam: Auariciam, & inextinguibilem habēdi sitim, similem igni dicemus: Et rursum

ab

ab *superbia*, sursum eunte, & uitiorum uexillum ferente, ad mediam usq; auaritiam retrograda latione descensuri, statuemus in alata *superbiæ* elatione ignem, semper alta petentem. Ab *aëris* elemēto sua proportione iracundiam metiemur. In inuidia pallente & languida, suumq; sanguinem intus ebibēte, locabimus *aquæ* similitudinem. *Auaritiæ* autem lucem, æreos montes nulli usui congerentem, terræ similem faciemus. Hæc est geminata quædam analogia, & duplicata proportio humanorū uitiorum, ad bigemina mundi elementa. In quibus quidem habendi cupiditatem, uitiorum ancillam, uario ad inferiora & superiora respectu nunc igni contulimus, nunc fecimus similem terræ. Nam & ipsa, ut insatiabilis congerendi libido, igni conferri debet, ut uero congestis uti diuitijs nesciens, cultrix uel ærei idoli, à iusta proportione, eam nulli alij elemento quàm soli terrenæ hypostasi similem dicere libet.

## ANALOGIA VITIORVM

ad substantiam, uitam, sensum, & rationem,  
eorumq; per singula corporis  
membra digeries. Cap. XIII.

**E**Xacta hac uitiorum analogia, qua contulimus ea duplici ordine bigeminis mundi elementis: rursum alteri cuidam, & quidem luculentæ eorum analogiæ nauanda est opera. Quadruplices hominis anima uires habet: substantiam, uitam, sensum, & rationem: quibus sua quadruplices etiam in hominis corpore organa respondent: præterquam rationi, quæ cum absq; corporis ope sua secretius peragat officia, intra animæ limites clausa, organum à

p 4 corpore

*Vires anime*  
*quadruplices*

Substantia.

Vita.

Sensus.

Ratio.

corpore nullum capit. Attamen quia peculiare rationis est medium sequi, solent docti in medio pectore, uel in corde disquirere qualemcumq; ipsius rationis sedē. Si igitur rursum ab acedia, uelut hypostasi uitiorum, conscenderimus scalam eorum, locabimus acediam in simplici hominis substantia: uelut quæ per segnicie[m] & uacationem actionum nihil habet, nisi quoniam est. Gula deposit sibi dari sedē in uita. Nam tuēda uita esca & potus inseruiunt. Luxuriæ sedem dabimus in sensu, cum paulo sit altius & honestius obiectū Luxuriæ (Nempe mulier) obiecto Gule. Auaritiam si dicimus esse excessum quendam & exorbitationem rationis, stantem quidem eatenus in medio, quatenus utriq; uitiorum generi famulantem, in media totius corporis stabiliemus zona. Rursum alio ordine, auaritiam ut sordidam, & in congesto ære pigram, dicimus etiam esse ut substantiam solam, & nihil agentem facultatem. Inuidiam pallore exanguem locabimus in uita: Iram à feruore & commotione sanguinis uultu igneā, dicimus esse sensum, præter rationem semouentem: Superbiam uocabimus rationem humana lmina transgredientē, & alta nimis appetetē. Et si deum hæc uitia in cōsentaneas corporis partes redigere placet: Acediam in inferiore hominis parte, qua segnis ac deses homo sedet, uti in ano locabimus: Luxuriā in genitalibus membris: Gulam in uentre: Auaritiam in corporis medio, uti in cingulo, à quo plenum ære marsupium pendet: Inuidiam alij detrahentem, & proximi honores uelut dentibus laniantē, sedere dicemus in ore: Irā quippe sternacem, & uelut igneos fumos à calore sanguinis euaporan


*euaporantem, in naribus & oculis statuemus: Superbiā erectis auribus de se libenter bona & ingentia nunciari audientem, & plurima assidue imaginātem, in auribus & imaginatione, uel in cerebri hemisphærio locari debere proprietas ipsius docet. Liquet igitur, quā misera sit anima hominis subditi istiusmodi uitij. Et quā uaria illius in diuersis sui corporis partibus sedes. Nam si acediæ inseruit homo, nonne eius anima, ut sedēs in imo, uti in uili anu, iure uilipendēda fuerit? Si luxuriæ sordes homo excoluerit, indignā in ipsius genitalibus dabimus eius animæ sedem. Si à gula turpiter uinci & exuperari se sinet, eius anima nonne ut in patinis deses, in uētre uilem & inhonestam sedē obtinebit? Si per auaritiæ inextinguibilem hydropisim æreum coluerit idolum homo, eius anima extra corpus facta, non longe à furum manibus erit. Nam hæc uel pendeat à cingulo, uel condita erit in marsupio, aut certe iuxta loculorum acervos obdormiet in scrinio. Si labes inuidiæ dominabitur homini, eius anima in stridore & collisione dentium sedens, & aliorum honori assidue detrahens, stercoribus hominum ut Ioannes Climacus uult, idest uitij eorum (Nam quid uitia nisi si stercora & feces) pascetur. Si dira & flammea iracundiæ lues hominem subegerit, eius anima per nares ignem spirabit, & in toruis oculis stans, ignitis radijs furorem foris iaculabitur: parietq; tandem ab obsequio manuum aut alterius, aut sui ipsius homicidium. Si deniq; superbia erexit hominem & supra cunctos, & supra seipsum, adeo ut nihil non illi sit contemptui, & placeat sibi ipse soli, dandus est animæ illius locus & in auribus, & summo*



mo cerebri hemispherio: in quo etiam uexillum & perpendicularum locamus uitiorum. Sed ubi iam per singula corporis membra digessimus ipsa hominum uitia, dedimusq; hac permoti occasione, diuersam rationali animæ, à suo ordine deuianti, in subiecto corpore sedem: qua nunc, uelut in caballo gradiens, rapitur in sublime, nunc uelut in flembo sedens, labitur deorsum. Quia lata & sufficiens euagatio nos in descriptione uitiorum detinuit, cohibebimus hoc loco impetum dicendi, ut alij iam præsto operi noster calamus famuletur.

LIBRI HVMANORVM VITIORVM  
finis. Editi Nouioduni. Anno domini Mil-  
lesimo Quingentesimo tricesimo. Et  
absoluti decima die Aprilis  
dominica in ramis  
palmarũ.

SEB. GRYPHIVS EXCVDE-  
BAT LVGD.  
ANN.  
M. D. XXXI.





47876 Ohf 1106



#  
Schotter  
(Germaun)



47876 Ch / 1106



#  
Schott  
(Germany)



47876 Chf 1106



#  
Schotten  
(Germany)